10.

DISQUISITIO
DE
SINGULARI FRATRUM JURE;

Quam,

Auxiliante DEO,

PRÆSIDE

WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/
U. I. D. & P. P.

Ad proxim: Maii,

Titulus h. ptinet ad disp. præced. ubi vide tit. huc ptinentem.

Publico Eruditorum Examini
submittit

Georg Wilhelm Schenck/
von Winterstädt.

TUBINGÆ,

Typis JOHAN: ALEXANDRI CELLI,

ANNO M. DC. LIX.

16

Cum Deo!

PRimus inter homines pietatis gradus eſt iſte, inquit B. Ambroſius, ut, quos authores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequiis, abſtineas contumeliis, nec vultu lædas parentum pietatem. Quid enim habemus nos liberi, quod non parentibus debeamus, nudi ab ipſis in hunc orbem procreati, & poſtea liberaliſſime educati? Pie itaque Valerius, de matre natæ uberibus alita loquens, putaret aliquis, ſcribit, hoc contra rerum naturam factum; niſi diligere parentes, prima naturæ lex eſſet. Hanc pietatem proximus fraternæ benevolentiæ gradus excipit. Nam, ut meritò primum amoris vinculum ducitur, plurima & maxima beneficia accepiſſe: ita proximum judicari debet, ſimul accepiſſe. Chara eſt uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines: ſed poſtea cognitis nulla benevolentia accedere debet, quæ priorem fraternum exhauriat. Hæc verbis Valerii dicta, plane confirmant effecta. Intaphernis uxor, marito, filiis ac fratre, imperio Darii, Perſarum Regis, ad ſupplicium deſtinatis, Regem lacrymis, ac ſupplici lamentatione ita commovit, ut ejus affectionem miſeratus, dixerit; unum ex his, qui erant interficiendi, eligeret; futurum enim, ut, quem vellet incolumem, ejus precibus condonaret. Mulier, poſtquam ſecum deliberavit, ita reſpondit: ſi unius animam Rex mihi gratificatur, eligo ex omnibus fratrem. Hæc audiens Rex, miratus ejus electionem, miſſo nuncio, ab ea quæſivit, cur viro, filiisque prætermiſſis, fratrem delegerit,

ut ſupereſſet, qui remotiori ab ſe eſſet gradu, quam filii, & minus jucundus, quam maritus? Illa reſpondens, Rex, inquit, maritus mihi alius, atque alii liberi, ſi hos amiſero, eſſe poſſunt: alius frater, parentibus meis jam vita defunctis, nulla ratione poteſt eſſe. Quo reſponſo delectatus Rex, & eum, quem mulier optaverat, miſſum fecit, & filiorum natu maximum, cæteris omnibus interfici juſſis. *Herod. in Thal. cap. 119.* Simile eſt, quod ex Antigona Sophocles ſuppeditat exemplum; cujus Ariſtoteles quoque meminit, *lib. 3. Rhetor. cap. 16.* quod chariorem fratrem habuerit, quam virum & filios, idque ex eadem cauſa, nim. eos fore, etiamſi perierint, matre vero & patre ſepultis, non fratrem ullum exoriri poſſe unquam. Rutilio adeo fratris dignitas cordi fuit, in petitione conſulatus, ut ejus audita repulſa, continuo animam efflaverit. Hinc ſicuti ſapientiſſimi legislatores, in legibus promulgandis, maximam pietatis paternæ rationem habuerunt: ita etiam ob fraternam benevolentiam & charitatem multa ſingularia de fratribus conſtituerunt jura; quæ cum ſcitu maxime ſint neceſſaria, ſimulque jucunda, conſtituimus illa breviter congerere, & publicæ collationi ſubjicere.

Q. F. F. F. Q. S.

NOn arctius aliud, sanctiusve in humanarum rerum sphæra reperiri fædus, hoc ipso quod conjugio ritè modisq; decentibus ineunt Mas & Fœmina, jam olim constanter est adsertũ, nec hodie recti moris quisquam iturus est inficias. Non heic corpori tantùm corpus, sed animũ animo sic uniri sic jungi est palã, ut ex duobus quasi unus factus homo videatur. Cum autem ipsum hoc, de quo agimus conjugium, præcipuus & jugis quasi fons sit, unde pars maxima felicitatis in vitam mortalium redundet, pleræq; moratiorum gentium, Christianarum maximè, variis illud legibus voluerunt exornatum, utq; suus ei hònos, sua constaret Sanctimonia, nihil insuper habuisse reperiuntùr, quò cura omni, omniq; studio firmissimum fidei fulcrum, animorumq; conjunctio muniretur. Plura sunt ea, quæ hunc in finem, sua singuli industria constituere; Nos ex multis unicum, bonorum scilicet & rerum communionem, non minimum momenti habere statuimus, ideoq; eam potissimum materiam, tot legibus statutisq: multiplici casu variè diffusam, distractamq;, nostro huic exercitio destinavimus.

CAPUT I.
Exhibet Definitionem & Divisionem.

§. I.

INscripsimus itaque Disputationem de Societate bonorum Conjugali: Ubi vox societatis, quæ variam incurrit alibi acceptionem, de qua Hector Felicius *in proœm. tract. de societat. num. 20.*

n. 20 & seqq. & Hahn. *ad Wesenb. tit. pro soc. n. 2.* recte consuluntur; Nobis contractum notat de rebus lucri in commune faciendi gratia communicandis. Et ne societatis materiam in genere hîc explicare velle videamur, conjugalem eam diximus, ut ita ad eam restringeremus, quæ conjuges inter intercedit, societatem. Non quidem illud vitæ consortium indigitamus, quod describitur §. *1. J. de patria potest.* sed rerum bonorumq; societatem, idq; innuere voluimus voce bonorum in inscriptione addita.

Societas quo sensu heic accipiatur.

§. II.

Synonimia ejus.

Hujus conjuges inter societatis, varia synonima, apud interpretes statutorum & consuetudinum occurrunt: Nonnulli enim consuetudinariam vocant eam quæstuum communionem, ut Joan à Sommern, *tr. de Jur. Noverc. cap. 1. num. 2.* Alii matrimonialem seu conjugalem, Lambertus Goris. *in Adversf. Jur. tr. 1. cap. 1.* Petrus Sanz. *in Inscript. tr. de Divis. Bonor.* Legalem vocat Rotenburg. *de Jur. Conjug. lib. 1. tit. 2. cap. 5. n. 14.* Statutariam Suarez. *de lucro Marit. & uxor. cap. 1. num. 58.* Irregularem & Anomalam Suarez. *d. l.* Privilegiatam & Incidentem, Joan à Sande *lib. 2. tit. 5. defin. 9. decis. Frisic.* Tacitam & non expressam, Didacus à Segura *tr. de lucro marit. & uxor. num. 27.* Consuetudinariam omnium bonorum communicationem, Lambertus Goris. *d. tr. 1. cap. 1. num. 32.* Anomalum societatis aut communionis genus, David Mevius *in Comment. ad Jus Lubec. libr. 1. art. 5. tit. 5. num. 25.* Commercium conjugale, Mevius *d. l.* Connubialem consuetudinariam Rottenburg. *in dict. tr. libr. 1. tit. 2. cap. 1. num. 13.* Societatem quæstuum Petrus Rat. *in Comment. ad Leg. Picton.* Impropriam & Tacitam Pyrrhus Anglebermius *in comment. ad consuet. Aurelian. tit: de societ. inter vir. & uxor. cap. 1.* Connubiale bonorum consortium, Rotenburg. *de Jur. Conjug. libr. 1. tit. 2. c. 5. num. 14.* Tacita & subintellecta communionis conventio, Rotenburg. *d. cap. 5. num. 14.* Conjugale consortium Rotenburg. *d. l.* Socialis communio Besoldus *ad Jus Provinc. Würtemberg. part. 4. th. 23. & part. 2. consil. 87. num. 2.*

§. III.

Definitur.

Conjugale hoc consortium, de quo nunc nobis sermo, est so-

eſt ſocietas inter conjuges, de utriusq; bonis, ſecundū cujuscunq; loci jura, tacitè ipſum matrimonium contrahendo inita. Generis loco heic ponimus ſocietatem; paſſim namq; ſic à Dd. appellatur, Franzkius *in Comment. ad ff. tit. pro ſoc. num. 17.* Mozzius *tr. de contract. tit. de ſociet. cap. de perſonis quæ ſocietatem contrahere poſſunt, num. 11.* Goris *in Adverſ. Jur. tr. 1. cap. 1. & 2.* Joan Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 5. num. 1. & ſeqq.* Garſ. *tr. de Expenſ. & meliorat. cap. 13. num. 15.* Beſoldus *ad Jus Provinc. Würtemberg. part. 4. th. 19.* Nicolaus Hennelius *in Mantiſſâ, de communione bonor. fin. tract. de Jur. Dotalit. adjecta.* Covarruvias *de Matrim. part. 2. cap. 7. §. 1. num. 6.* & paſſim apud Dd. præcedenti §. citatos. Horum Autoritati ipſa accedit ratio & ſocietatis ipſius natura: Nimirum res ex conſenſu communicantur, & quidem communis lucri gratia ut natura ſocietatis exigit, Beſold. *ad Jus Provinc. Würtemb. part. 4. th. 19.* Et aliis ex actibus ſocialibus idem adparet, addatur David Mevius *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 5. num. 22. & ſeqq.* Nam hæc conjugalis bonorum communio vera eſt ſocietas ab ea, quæ expreſſis, pactis inter alios initur, & de qua in jure noſtro civili ágitur, nihil admodum diſcrepans, Joſephus de Seſſe *in Deciſ. Senatus Regni Arragon. deciſ. 37. num. 1. & 2.* Nec minus privilegiis munita quam expreſſa inter alios inita, Caſſanæus *ad Conſuet. Burgund. rub. 3. §. 2. in verb. eſt participante. num. 1.* Boerius *ad Conſuet. Bituricenſ. tit. de conſuet. Matrim. §. 2.* Hinc jura ea, quæ de ſocietate loquuntur, in hac etiam conjugali bonorum communione locum ſibi vendicabunt; adeò quidem, ut nihil ab iis diſcedendum fuerit, niſi contraria loci conſuetudo, vel ſtatutum, diverſum ſuaſerit. Certum etenim eſt, non uno in loco conſortium hoc conjugale, quoad bonorum participationem plus minusve reſtringi atque coarctari, David Mevius *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 5. num. 43.* Negent licet quorundam Locorum ſtatuta aliquos communis ſocietatis Effectus huic conjugali ſocietati, in reliquis tamen punctis, conjugalem bonorum communionem, eo ipſo pro vera agnoſcunt ſocietate, videatur Rodericus Suarez. *de lucro Marit. & uxor. tit. 1. n. 38.* Mevius *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 5. n. 35. & ſeqq. & part. 2. tit. 2. art. 12. n. 113.*

Eſtq; vera ſocietas,

§. IV.

Vnde notātur illi qui quæstuum communionem ex jure successionis derivant.

Cum itaq; inter conjuges vera sit societas, & lucra quæstusq; inter eos communicentur jure societatis, errare nobis videntur illi, qui quæstuum com̄unionem ex jure successionis derivant. Adserunt enim superstiti conjugi post alterius mortem, quæstuum partem deferri jure hereditario, inter quos sunt Joan Faber, Guil. Bened. Joan Pap. à Grivello *Decis. Dolan. 90. n. 7.* citati, idemq; vult Wehnerus *Thesaur. pract. voce* drittheil. quibus subscribere videntur illa locorum statuta, quæ uxoribus partem quæstuum deferunt, hujusmodi verbis, ex quibus successionis magis, quam societatis jura colligi videntur: Sic jure Provinc. Marchico Padens. *part. 6. tit. 5.* §. Ferners setzen. uxor partem quæstuum hereditario jure accipere pronunciatur, hoc modo: **Ferners setzen und ordnen wir/ das im Fall der Ehemann zuvor zeitlichen Tods verfiehre/ und eheliche Kinder hinder jhm verliesse/ alsdann solche Kinder von den errungenen und gewonnenen Güttern in stehender Ehe / die zwey Theil / aber die Mutter den dritten Theil ererben sollen.** Hanc namq; sententiam pleriq; statutorum & consuetudinum interpretes damnant. Grivellus *Decis. Dolan. 90. num. 7. & 21.* expresse scribit, uxorem successionis jure quæstus accipere nullos, immo alii numero non pauci Dd. consentienti sententia statuunt, uxori tam dominium, quam possessionem in rebus illis, quæ constante matrimonio parantur, jure ipso pro parte acquiri, ut ut neque dominium illud neque possessio semet exserat, nisi soluto prius matrimonio finitaq; societate, Suarez. *tr. de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 58.* Lopez. *cap. 6. num. 5. & seqq. de quo infra cap. 5.* quod directe pugnat cum jure successionis, adde Gars. *tr. de Expens. & Meliorat. c. 13. n. 15. in fin.* Deinde, præsupposita hac sententia, sequeretur morientem succedere vivo: Quippe moriens uxor suam acquisitorum partem jure successionis à Marito caperet, adq; suos transmitteret heredes, quod absurdum utiq;, & ab omni juris ratione alienissimum fuerit. Accedit insuper, quod quæstus hi, in omni provinciali jure expresse semper separantur à bonis hereditariis: videantur si placet Jus Provinc. Würtemb. *part. 4. tit. 5.* §. und dann ꝛc. Jus Provinc. Marchic. Padens. *part. 6. tit. 7.* §. *ult. tit. 9. & tit. 11.* §. darnach.

Nec

Nec noſtram hanc ſententiam infirmat, quem ſupra ex hoc Provinciali jure *tit. 5. part. 6.* adduximus, conjungendus namq; iſte titulus eſt cum 7. 9. & 11. atq; ex illis explicandus omnino erit. In quibus dum quæſtus & hæreditaria bona mulieri delata, aperte diſtinguuntur, & hæc quidem alio jure, longeq; diverſo, hereditario puta, ſuperſtiti conjugi deferuntur, in liquido eſt, quæ Sereniſſimi Legislatoris illius fuerit ſententia. Agitur namq; ibi principaliter de liberis patri defuncto ſuccedentibus, & determinatur quantum ipſis ex quæſtibus debeatur, ſcilicet partes duas ex perſona patris ſucceſſionis jure illis primo deferendas, tertia deinde portio quæſtuum mulieri adjicienda, & id quidem nullo ſucceſſionis jure, ſed quo alio hoc ei deferatur, non eſt expreſſum, ſupplendum tamen haud dubie ex locis aliis. Nos itaq; colligimus vocabulum Erben/ ad liberos potiſſimum eo loco referendum eſſe; vel conceſſo mulierem etiam eadem voce includendam, vocem Erben eo loco in ſenſu laxiori & improprio accipi, idq; fortaſſis eam ob cauſam, quod ſocietas illa, quæ conjuges inter conſtante matrimonio intercedit, ſoluto demum matrimonio maxime conſpicua ſit, ut quidam volunt, & partem quæſtuum ſibi debitam cum Effectu uxor conſequatur, vid. Grivell. *Deciſ. Dolan. 65.* Pekius *de Teſtam. Conjug. lib. 2. cap. 1. num. 2. &* §. *3. cap. 5. infra.*

§. V.

Societas hæc conjugum non unius eſt ſemper ejuſdemq; generis, ſed quemadmodum ſocietas in genere conſiderata, alia eſt bonorum omnium, alia bonorum ſimpliciter, alia rurſus certarum rerum vel negotiationum, *l. 1. 3. 5. l. 7. & ſeqq. ff. pro ſocio.* Ita etiam noſtra hæc ſocietas quoad Objectum variat, juxta diverſitatem ſtatutorum, hoc in loco ampliari eandem, alibi reſtringi deprehendes. Ideoque in univerſalem & ſpecialem partiri poteſt: Et illa iterum vel eſt bonorum univerſorum in ſpecie, vel bonorum ſimpliciter. Univerſorum ſive omnium bonorum ſocietas ea eſt, qua conjugum bona cuncta, præſentia & futura, tam allata quam acquiſita, ex quocunq; tandem titulo proveniant, pleno jure communicantur, *arg. l. 3.* § *1. ff. pro ſoc.* Franzkius *in Comm. Digeſt. ad dict. tit. num. 17.* Hector Felicius *tr. de Societat. cap. 12. num. 21.*

Dividitur.

In univerſalem; & quidem in ſpecie omnium bonorum;

num. 21. & seqq. Hanc ipsam speciem mores Schleswicensium agnoscunt, Cypræus *tr. de Sponf c 5. §. 14. n. 4. & §. 35. n. 5.* Civitatis Brugensis, Christinæus *Decis. Belgic. 72. vol. 2.* & approbarunt leges Regni Lusitaniæ, Lambertus Goris *in Advers. Jur. tr. 1. cap. 1. num. 24.* qui id ex Alvaro Valasco refert. In Geldria idem testatur Petrus Greven. *Exercit. ad difficill. Dig. loc. 14. tit. pro soc. n. 2.* Lambertus Goris *d. tr. 1. cap. 1, num. 26.* De Selandia Everhardus *consil. 135.* de consuetudine Provinciæ Ultraject. Goris *d. tr. 1. c. 1. in addit. num. 26.* Rottenburg. *de Jur. Conjug. tit. 2. cap 5 num. 12.* Neque aliter in Hollandia observari probat Rottenb. *d. tit. 2. c. 5. num. 12.* & Goris *d. cap. 1. num. 28.* ut neq; in civitate Embricensi, & Ducatu Cliviæ Goris adnotat *ad d. cap. 1. num. 26.*

§. VI.

Vel simpliciter bonorum,

Societas bonorum simpliciter dicitur, qua quidem etiam omnia sociorum bona quodammodo in commune conferuntur, sed vere & plene ea tantum communicantur, quæ ex quæstu seu negotiatione, artificio vel opera sociorum acquiruntur, *arg. l. 7. & seqq. ff. pro soc.* Franzkius *in comment. ad d. tit. num. 22.* Vigere hujusmodi societatem in Hispania adstipulatur Suarez. *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 58.* Lopez. *cap. 5. num. 4.* Gars. *de Acquast. conjug. num. 11.* In Marchia Brandenburg Bruckmann. *consil. 44. n. 18.* Schepliz. *part. 3. tit. 2. §. 1. nu. 2. in not. ad Consuet. March.* Placuit eadem moribus Lubecensibus, Mevius *ad Jus Lubecens. lib. 1. tit. 5. art. 5. & part. 2. tit. 2. art. 12. num. 29. & seqq.* Receperunt idem statuta Alsatiæ, Argentinæ, Spiræ & ferè totius tractus Rhenani Germaniæ superioris, Rosenthal. *de feud. cap. 5. conclus. 67. num. 4. & seqq. & cap. 10. conclus. 5. num. 22.* Accedit Regnum Siciliæ, de cujus civitate Catanæa in specie testatur Franciscus Milanensis, *lib. 1. decis. 18.* quam ipsam approbat quoque Jus Provinc. Würtemb. *part. 4. tit. 4. & 5. §.* und dann hat. *Item tit. 6. 7. & 8.* Et Jus Provinc. Marchico. Padens. *part. 6. tit. 5 §.* Ferners/ *& §. seq. tit. 7. §. ult. tit. 9. & tit. 11. §. 1.* In aliis locis præter quæstus, etiam mobilium bonorum tempore initi matrimonii allatorum, introducta communio reperitur, utpote in Burgundia inter Nobiles ut testatur Cassanæus *ad Consuet. Burgund. rub. 4. §. 2. in pr. & d. §. 2.*

in verb.

in verb. Est participante. Idem habent mores urbis Dolæ inter suos nobiles introductum, Grivellus *Decis. Dolan. 13. num. 1.* Et Bourboniæ, Papo Grozezius *ad Consuet. Bourbon. tit. 31. §. 240. & seqq.* Pariter Aurelii, Pyrrhus *ad Consuet. Aurel. tit. de Societ. inter vir. & uxor. cap. 1.* Bituricensium, Nicolaus Boerius *ad Consuet. Bituricens. tit. des Coustumes concernans. §. 2.* Pictonum Petrus Rat. *ad Leg. Picton. art. 183.* Ducatus Andegavensis, Franciscus Mingonius *ad art. 283. & seq.* Civitatis Antwerpiensis Everhardus *consil. 136.* Et de universa ferè Gallia idem asserit Cassanæus *ad Consuet. Burgund. rub. 4. §. 2.* Molinæus *in Consf. Parisiens. §. 40. in pr.* Aliis quoque in locis societas conjugalis mixtam naturam obtinet, ita ut aliquid participet de natura in specie omnium bonorum, & etiam aliquid de societate simpliciter bonorum, ut in Frisia, vid. Goris *tr. 1. cap. 1. num. 20.* Sand. *decis. Frisic. lib. 2. tit. 5. defin. 1.*

§. VII.

Specialis autem societas ea dicitur, quæ certas tantum negotiationes vel certas res respicit, adeoq; quorundam bonorum communionem inducit & permittit, *arg. l. 5. ff. pro soc.* Franzkius *in Comment. ad dict. tit. num. 38.* Sic in comitatu Burgundiæ inter eos qui nobilitatis privilegiis non gaudent, bonorum mobilium quæstus constante matrimonio facti, tantum communicantut. Cassanæus *ad Consuet. Burgund. d. l.* Et in regno Arragoniæ testante Josepho de Sesse *in Decision. 37. num. 1. & 2.* Idem obtinere apud illos, qui agrum inhabitant Gröninganum, docet Lambertus Goris *in Advers. Jur. tractat. 1. cap. 1. num. 21.* Sed moribus Mechlinensium præter quæstus rerum immobilium durante matrimonio commulatos, communicatur nihil, ut habet Goris *d. l. num. 17.* Paul. Christin. *vol. 1. decis. Belgic. 216. num. 3.* Et de omnibus Urbis Dolæ civibus, exceptis Nobilibus, Grivellus *Decis. Dolan. 13.* Et particularem.

Caput II.

De causa Efficiente agit.

§. I.

Origo quæ sit & productiva vis societatis conjugalis, non ita obvium est statuere, diversas namq; heic reperies Dd. sententias.

Nos

Quæ eſt cō- ſenſus conjugum.

Nos proximam ei cauſam damus conventionem ſeu conſenſum ipſorum conjugum, *arg,* §. *unic. Inſtit. de Oblig. quæ ex conſenſ. l 19. ff pro ſoc.* Oſtenſum etenim voluimus ſupra. §. *3. cap. 1.* conjugale hoc conſortium veram eſſe ſocietatem; jam autem certi eſt juris, ſocietatem omnem conventione ſeu conſenſu contrahi, *d. l. 19. ff. pro ſoc.* poſtulant equidem aliæ quoq; obligationes ſeu contractus conſenſum, ut communem quaſi Spiritum, *l. 1.* §. *3. ff. de pact.* eo tamen ſolo non abſolvuntur; noſtra autem de quo heic agimus ſocietas, ad ſui perfectionem præter conſenſum contrahentium requirit nihil, §. *unic. Inſtit. de Oblig. ex conſenſ.* ubi Vinnius ad rubr. Et utut ſocietas in genere conſiderata plerumque expreſſo contrahentium ineatur conſenſu, maximè quidem quoad initium ſui. Frantzkius *in Comment. ff. ad tit. pro ſoc. num. 4.* & inter ipſos quoq; conjuges jure civili ſocietas expreſſa conventione conſtitui poſſit, *l. 16.* §. *fin. ff. de aliment. legat. l. 17.* §. *1. ff. ſolut. matrim.* Harprecht. *in Comment. Inſtit. ad tit. de ſociet. in pr.* Cujusmodi ſocietates Galli Affrayramenta appellant, teſte Goris, *d. tr. 1. cap. 1. num. 11.* & Caſſanæo *ad Conſuet. Burgund. rub. 4.* §. *2. in verbis eſt participante. n. 3.* Boerio *ad Conſ. Biturienſ. tit. de conſuet. matrim* §. *2.* Ea tamen quæ in ſpecie conjugalis dicitur ſocietas & de qua heîc agitur, tacito conjugum conſenſu, re ipſa ſcilicet & facto declarato, contrahitur, dum matrimonium hac qualitate à lege auctum contrahunt, nec ſpeciali pacto contrariam voluntatem exprimunt, ſive diverſum quidquam mutuo paciſcuntur, confer Rotenburg. *de Jur. Conjug. tit. 2. cap. 5. num. 14.* Sicuti & jure Civili ſocietas re, ſive tacito conſenſu iniri poteſt, *l. 4. ff. pro ſoc.* Franzkius *d. tit. num. 5,* cum referat nihil, facto ne, an verbis declaretur conſenſus *dict.* §. *unic. Inſt. de Oblig. quæ ex conſenſ.* & ibi Vinnius. Matrimonium quidem & ejus contractus per ſe, ac ſua natura ejusmodi factum non cenſendum, quod animum & intentionem bonorum ſocietatem contrahendi involvat, ut illud contrahentes, Societatem bonorum ſimul inire voluiſſe credantur: Ex multorum tamen locorum ſtatutis & conſuetudinibus matrimonium ita informatur, ut hanc qualitatem includat; nimirum contracto matrimonio, hæc intelligatur contrahentiū mens atq; voluntas eſſe, quod bonorum ſimul ſocietatem introducere firmareq; voluerint.

Et quidem tacitus.

Qui elicitur ex matrimonio.

§. II. Ut

§. II.

Ut itaque conjugalis hæc societas videatur contracta, requiritur primo, quod efficientem attinet causam, statutum vel consuetudo, quæ matrimonium ita informet, ac pro eo declaret facto, quod animum intentionemque habeat societatem ineundi, ac consensum conjugum colliget probetque. Matrimonium enim ut quod personarum vitæ societas, in qua jus corporum inter conjuges communicatur, sobolis procreandæ gratia, per se nullum infert consensum communionis bonorum, neque ut bona quæsita vel quærenda tanquam communia, soluto matrimonio inter utrumque conjugem dividantur, exigit. Hinc patet quam à vero discedant, qui hanc bonorum societatem simpliciter ipsi matrimonio tribuunt, eiq; bonorum communionem inesse volunt, ut Gregor. Tholos. *syst. jur. univ. lib. 27. cap. 4. n. 7.* Christinæus *vol. 1. decis. Belgic. 209. n. 1.* à quibus prope etiam abest Neostadius, *de pactis ante nupt. observat. rer. judicat. 9.* bonorum communionem matrimonii sequelam esse scribens. Fluit enim id ex pacto matrimoniali, quod teneatur uxor cohabitare cum viro suo, nec ejus in gratiis, vel ire peregre, vel segregari possit; Bonorum vero participatio non ex ipso matrimoniali pacto, sed peculiari conjugum conventione, & legibus civilibus ortum trahit, uti in hanc rem differit scriptor elegans Pufendorffius *in Element. jur. prud. libr. 2. observ. 5. num. 3. in fin.* Quibus accedit etiam illud, quod præsupposita hac sententia matrimonio contracto, conjugali societati indistincte esset locus, etsi speciali statuto vel consuetudine non reperiretur introducta, cum tamen, ut modo probatum ivimus, nulla inter conjuges censenda sit societas, nisi vel prævio statuto, vel ex recepta consuetudine.

C. Efic. requisitum primum.

Male itaque ipsi adscribitur matrimonio.

§. III.

Non desunt, qui existimant ex juris etiam civilis dispositione matrimonium ita informari & pro hujusmodi facto censeri, ut animum & voluntatem societatis bonorum ineundi involvat, atque sic jure quoque communi inter conjuges bonorum societatem obtinere, inter quos reperio Nicolaum Boerium *ad consuet. Bituricens. tit. de consuet. matrim. §. 2.* Verum, hoc penitius inspectum parvam habet cum vero communionem, quamvis enim olim apud

Iure antiquiori hæc societas Romanis usitata fuit.

Romanos jure Regio, ex antiquissima Romuli sanctione, quam nobis reliquit Dyonisius Halicar. *libr. 2.* & commendat Plutarchus *in præceptis connubialibus, c. 20.* Societas inter conjuges non tantum quoad jura divina & humana, sed quoad ipsa etiam bona fuerit introducta, vid. Rittershusius *in Comment. LL 12. tabell. class. 3. part. 1. cap. 6.* unde manasse illud videtur, quod uxor socia dicatur domus & rei divinæ humanæque. *in l. 4. C. de crimine expilat. hæredit.* Mevius *ad jus Lubecens. lib. 1. tit. 5. art. 5. num. 3.* atque ritus nuptiarum priscis Romanis usitatus, quo nova nupta Caja, & Maritus Cajus dicebatur, quæ hetruscæ voces latine dominum significant & dominam, Garf. *de Acquæst. Conjug. num. 23. & seqq. vid. l. 39. in pr. ff. de legat. 3.* Lambert. Goris, *d. sæpe tr. 1. cap. 1. num. 9.*

Sed jure nostro justinian non recepta.

Recentiores tamen Jurisconsulti jure Justinianeo emendato præter promiscuum communemque rerum usum, nullam fere inter conjuges societatem hujusmodi, aut bonorum communionem agnoscunt, ut recte observat Covarruvias *de matrim. part. 2. cap. 7. §. 1.* Garf. *de acquæst. Conjug. n. 31. & in tr. de expens. & meliorat. cap. 13. n. 14.* Cassan. *ad Cons. Burgund. rubr. 4. §. 2.* Neostad. *d. tr. obs. rer. judicat. 9.* Pyrrhus *ad Consuet. Aurelian. tit. de societat. inter vir. & uxor. cap. 1.* Mevius *ad jus Lubec. dict. tit. 4. art. 5. num. 5.* Fichardus *tom. 2. consil. 131. num. 5.* Besold. *ad jus provinc. Wirtemberg. part. 4. th. 31.* Sande *lib. 2. tit. 5. def. 1.* Lamb. Goris *tr. 1. c. 1. n. 10.*

§. IV.

Et hoc liquido constat ex iis, quæ de bonis uxoris paraphernalibus, eorumque administratione, ut & bonis dotalibus ac receptitiis, in jure passim traduntur, quæ ego ut obvia heic cumulare insuper habui.

Bona constante matrimonio quæsita cui cedant jure civil. marito

Bona quod attinet ea, quæ constante matrimonio sunt parta, cedunt illa soli marito, ita quidem, ut nec aliam in considerationem venire debeant ea, quæ uxor eodem tempore lucri fecisse videtur. In dubio namq; præsumitur mulier ex re mariti talia quæsivisse, ad excludendam turpis quæstus suspicionem. *l. 51. ff. de donat. inter vir. & uxor, l. 6. Cod. eod.* Sutholdt. *dissert. 2. th. 19.* Lambertus Goris. *d. cap. 1. num. 37.* Lopez. *de lucro marit. & uxor. c. 4. n. 10.* qui idem quoque cum concubina in domo viri retenta valere concludit, *arg. l. Item legat. 49. §. parvi. 4. ff. de legat. 3.* Ratione uxoris vero ulterius hoc extendit etiamsi uxor adultera fuisse

pro-

probetur: nam etiam tunc in favorabiliorē partem potius est inclinandum, nimirum uxorem talia non aliunde quam ex mariti bonis quæsivisse, *arg. l.miles.11.§.9.ff.adl.Jul. de adulter.Lopez.d.c.4.n 11.*

§. V.

Quod autem diximus mulierem præsumi ex mariti re quæsivisse, id tunc demum valebit, si non certo constiterit unde hoc acquisitum habeat: *d. l. 51. de donat. inter vir. & uxor.* Sin verò de eo dubium superest nullum, sibi uxor acquisivisse dicenda non marito. Idque non in fortuitis tantum lucris, utpote hæreditatibus, legatis, similibusq; aliis. *l.77. §. 8. ff. ad Senatusconsult.Treb.* sed & ex suis rebus, veluti paraphernalibus & receptitiis aliquid acquisierit, idem valere censendum. Nam receptitia sibi retinet soli, tam quoad dominium quam possessionem; Paraphernali vero dominio & lucro mariti exemptæ sunt, ita ut regulariter quidem administrator tantum illorum audiat, *vid. l. ult. C. de pact. convent.* Nec dissimile est, si opera quadam & artificio mulier quid paraverit, Garf. *de Acquæst. Conjug. n. 72.* Quas n. operas & industriam marito debet, *arg. l. 48. de opera libert.* de obsequialibus tantum, exclusis artificialibus, intellectum volunt. Guttierez *lib. 2. quæst. 120. n. 3.* & Neuenhahn. *tr. de jur. viduit. sect. 18. lit. B.* Garf. *d. l. n. 72.* Nituntur illi hoc fundamento, quod jure civili per eas demum personas nobis acquiritur, quæ in nostra sunt potestate, *pr. instit. per quas personas nobis acquirat.* Hinc si per artem sericam, aut aliam industrem operam mulier lucri fecerit quid, hoc uxori proprium manebit, Marta *in digest. noviss. tom. 3. tit. societas. cap 21.* Cæterum Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 134. & seqq.* serio urget illa etiam, quæ artificio & opera manuum uxor quæsiverit, marito cedere, non uxori, cum hoc facit Heigius *part. 1. quæst. 29.* hanc suam sententiam Mevius recepto passim usu probatam esse ait *d.l. n. 141.* adde Carpzovium *part. 2. constitut. 125. defin. 15.* Hujus consortii conjugalis vestigia quædam in jure nostro recentiori nobis relicta esse, non sine ratione existimat Mevius *ad jus Lubecens. lib. 1. tit. 5. art. 5. n. 3.* Boerii & reliquorum dissentientium argumenta ipsi disputationis actui reservata cupimus; interim videri potest Cassanæus *ad consuet. Burgund. rub. 4. §. 2. num. 16.* & Pyrrhus *ad consuet.*

Limitat.

uxor marito debet tantū operas obsequiales & œcunomicas.

& ex suo artificio quæsita sibi retinet.

consuet. Aurelian. tit. de societ. inter vir. & uxor. cap. 1. Vinnius *ad §. 1. Inst. de patria potestate, n. 4.* ubi iis rationibus satisfactum est, quibus jure communi bonorum communionem quidam adstruunt.

§. VI.

Ius Canon. hanc societatem non agnoscit.

Neque aliud de jure canonico dicendum esse arbitramur, utut Nicolaus Everhardus, *consil. 53. & 56. vol. 2.* & cum eo alii eo jure aliter rem se habere velint, movetur ille *cap. 2. extra de donat. inter vir. & uxor.* hanc namq; sententiam rejiciunt alii numero non pauci, Goris *in advers. jur. tr. 1. cap. 1. num. 12.* Mevius *ad jus Lubec. lib. 1. tit. 4. art. 5. num. 7.* Covarruvias *tr. de matrim. part. 2. cap. 7. §. 1. n. 5.* Gars. *de Acquast. conjug. num. 31.* Pyrrhus *ad consuet. Aurelian. tit. de societ. inter vir. & uxor. cap. 1.* Vinnius *ad d. §. 1. Instit. de patr. potest. num. 4.* Quod concernit allatum *cap. 2. extra de donat. inter vir, & uxor.* penitius introspectum, nihil juvat dissentientium sententiam, ut eleganter probat Gars. *d. tract. num. 31.* Covarruvias & Mevius *citat. antea locis.* quo brevitatis studio lectorem remittimus.

§. VII.

Firmum itaque manet jus civile & canonicum hanc inter conjuges bonorum societatem non agnoscere. Illud certum est, ante aliquot secula passim hujus societatis usum obtinuisse, adeoque matrimonium pro tali facto habitum fuisse, quod consensum de bonorum societate inter conjuges constituendi involveret; Sanè priscis quoq; Germanis societatem hujusmodi non incognitam, monstrat tacitus de moribus Germanorum ubi mulierem in ipsis matrimonii initiis admonitam docet, venire se laborum periculorumque sociam, passuram idem & ausuram cum marito, in pace & bello; à quibus ad alios deinceps istius usum derivatum nonnulli existimant. Videtur ergo moribus primum sive consuetudine bonorum inter conjuges communionem invaluisse, posteaque, varia insecuta esse populorum variorum jura statutaque, quibus muniri illa cœpit firmarique, utut nec modo eodem nec effectu ubique, ut de tota ferè Germania adserit Georgius *Nüttel. volum. 4. consil. 38.* Mevius *ad jus Lubecens. lib 1. tit. 4. art. 5. numer. 14.* Et de Belgarum moribus idem scribit Paulus Christinæus. *vol. 1. decis. belgic*

ante aliquot secula hæc conjugalis societas invaluit.

idque moribus & consuetudine.

209.

209. Neostadius *dict. observ. art. 9. & 12.* De Danis testatur Paulus Cypræus *tr. de jur. connub. part. 2. c. 8.* De Gallis idem habet. Cassanæus, *ad consf. Burg. rub. 4.* §. *2.* Molinæus *ad consf. Parisiensf.* §. *40. in princ.* De Regno Siciliæ Franciscus Milanensis *lib. 1. decisf. 18.* De Hispanis Garsf. *de acquæst. conjug.* Suarez. & Lopez. *tr. de lucro marit. & uxor.* Pluresq; alii. De Regno Arragoniæ Josephus de Sesse *in decisf. Arragon. 37. num. 1. & 2.* De Regno Lusitaniæ Lambertus Goris *in adversf. jur. tr. 1. c. 1. num. 24.* De Silesia Hennelius *de bonor. commun. in mantissa, quam tractatui novissimè edito, de jure dotal. in fine adjecit. vid.* §. *4. & 5. cap. praecedent.*

§. VIII.

Ratio propter quam hæc bonorum inter conjuges communio locorum consuetudinibus statutisque introducta, evidens est, nimirum ut vel ea ratione conjunctioni animorum, & arctissimo vinculo quod conjuges prosperæ pariter & adversæ fortunæ constituit socios, consulatur rectissimè: quæ constantior utique erit, si non ea tantum, quæ vitæ societatem concernunt, sed bona etiam communicantur. Hoc certè non leve est amoris promovendi fomentum, cum videt conjunx nihil sibi peculiare destinasse socium suum, sed quicquid habet, commune habere velle. Cessant ita omnia jurgia facilimè, tolluntur odia, suspiciones, simultates, & quæ alia sacrum thorum infamare solent. Non enim frustra est, quod ait Plutarchus vocabula mei & tui, è conjugali consortio extirpanda esse. Accedit quod negotiationes & mercimonia hac ratione facilius & commodius exerceantur, ceu tradit Mevius *ad jus Lubecensf. libr. 1. tit. 5. art. 5.* Quæ præcipua fuit ratio Belgis introducendæ secum communionis bonorum conjuges inter, Neostadius *tr. de pact. ante nupt. obser. rer. judicat. 9. in not.* Improbat quidem hanc societatem conjugalem tanquam leoninam Scipio Gentil. *tr. de donat. inter vir. & uxor. libr. 1. c. 15.* Verum nihil iniqui continet, imò potius favorabilis censeri debet, uxor enim, dum quæsita studiosè conservat, reique familiari cura, diligentia & industria præest, eam auget & ornat, non parum ad familiam conferre dicenda, ut meritò quæsitorum pars in præmium diligentiæ & laborum statuta deferant, Joan Lopez. *tr. de lucro. marit. & uxor. c. 6. num. 2. & 3.* Johan.

Causa eius impulsiva.

han. à Sande. *lib. 2. tit. 5. def. 1.* PECKIUS *de testam. conjug. lib. 2. c. 1. in pr.*

§. IX.

Causa efficiens non recte vindicatur legis dispositioni.

Quamvis autem supra dictum sit ratione hujus societatis constituendæ, requiri consuetudinem vel statutum, inde tamen hæc societas absolulè & simpliciter consuetudini vel statuto tanquam causæ ejus principali adscribenda non est, quod facit Guitierez *libr. 2. quæst. 118.* Josephus de Sesse, *decis. 37. n. 1. & 2.* Johan à Sommern *de jur. Noverc. cap. 1. num. 1.* Suarez. *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 21. ibi. sed hic contrahitur à lege solum.* Lopez. *cap. 5. num. 3. in verbis. ista societas tacite à lege contracta.* Didacus à Segura, *de lucro marit. & uxor. num. 68. & in repet. ad l. unum ex famil. § sed si fundus, ff de legat. 2. num 30.* Grivellus *in decis. Dolan. 90.* Gars. Mastryllus *lib. decis. 95.* Quippe consuetudo sive statutum, ipsum tantum matrimonium informat, ut ex eo conjugum consensus elici & colligi possit, atque hanc qualitatem quæ antea ei non inerat, suppeditat matrimonio. Eadem prorsus ratione, qua sponsus sponsam si cognoverit, ex juris dispositione hoc animo & consensu matrimoniali factum, atq; eo ipso matrimonium contractum præsumitur, *cap. 30. extra. de sponsal.* ex quo tamen matrimonium non ipsius legis dispositioni, sed consensui matrimoniali, qui ex isto facto à jure elicitur, adscribi debet: sic quoque secundum communem Dd. sententiam, ex placito juris civilis duo vel plures unam rem communi nomine ementes, eo ipso facto societatem contraxisse creduntur, *l. 2. ff. famil. hercisc. l. 2. C. de societat.* vid. tamen Nobiliss. Dn. Præsid. *ad tit. ff. pro socio. §. 1. n. 3.* Vinnium *ad rub. instit. de societ.* propterea tamen causa principalis istius societatis legis dispositioni non debet vindicari, sed consensui ex facto isto à lege ita informato, resultanti.

§. X.

Cum autem inter se discrepent variorum locorum statuta & consuetudines, cujus loci statuta sive consuetudo tum inspicienda fuerit, si fortassis in domicilio mariti certa reperiatur observata consuetudo, diversa ab ea, quæ in loco contracti matrimonii, domicilii uxoris puta, celebratur, operæ pretium est heic inquirere. Loquamur sub exemplo, quidam ex Ducatu Wittemberg. ducit uxo-

rem

rem in Marchia Padensi, vel Holandus matrimonium contrahit in Frisia: secundum cujus loci mores, quamque societatis speciem, hi contraxisse præsumendi? Quod attinet solennitates actuum à statutis introductas, observandæ eæ sunt in dispositionibus hominum juxta locum, ubi negotium geritur, ita ut actus is validus sit, etiam quoad bona alibi sita, Mevius *ad jus Lubecens. quæst. Prælim. n. 6. 41.* Gail. *lib. observ. 123.* Rottenb. *de jure conjug. tit. 2. cap. 5. n. 8.* quod idem in specie de solennitatibus matrimonii asserit Covarruvias *de matrim. part. 2. cap. 7. num. 13.* hoc tamen in casu quoad divisionem rerum communium constante matrimonio acquisitarũ aliudve simile, locum domicilii mariti, & vigentem in eo consuetudinem esse observandam, atque sic eam societatem videri contractam, quæ ibi recepta, constanter fere concludunt, *arg. l. 65. de judic.* Goris. *in advers. jur. tr. 1. cap. 6. n. 2.* Gars. *de acquæst. conjug. n. 140.* Rottenburg. *d. tit. 2. cap. 5. n. 5.* Boerius *ad consuet. Bituricens. tit. de cons. matrim. §. 4. gloss. 1.* Cassanæus *ad cons. Burgund. rub. 4. §. 2. in verbis, Au dische de Bourgongne.* Mulier enim quia per matrimonii conditionem in domicilium mariti transitura est, *d. l. 65. de judic.* secundum observationem in loco domicilii mariti, contractum esse censetur, Rottenb. *d. l. n. 15.* & ipsa quoque mulier animi destinatione ibi contraxisse præsumitur, Roderic. Suarez, *tr. de lucro mariti & uxor. tit. 1. num. 41. & seq.* Ita in hac quæstione judicasse senatum Lusitaniæ, refert Goris *dict. tract. 1. cap. 6. num. 2.*

Attendi heic debent leges domicilii mariti.

§. XI.

Extenditur hoc, quod modò diximus, etiamsi in loco domicilii uxoris, ubi contractus matrimonii celebratus est, nulla bonorum communio inveniatur recepta, *arg. d. l. 65. de judic.* Cassanæus. *ad cons. Burg. rub. 4. §. 2. d. l.* Inspiciendæ enim leges loci matrimonii contracti, qui hic censetur esse domicilium mariti, ejusque statutis se contrahentes conformare voluisse creduntur, Rottenburg. *de jur. conjug. tit. 2. c. 5. num. 15.* Loci etenim consuetudo ipsum contractum ingreditur, in quam consensisse videntur, Cassanæus *ad consuet. Burgund. rubr. 4. §. 2. super verb. Selon la generale coustume.*

Licet in domicilio uxoris ejusmodi bonorum communio sit nulla.

§. XII. Hanc

§. XII.

Quod tamen limitatur 1. Hanc propositam sententiam duplici ratione Dd. limitant, & quidem primò, si maritus in uxoris domicilio contrahit animo eo, ut ibidem permaneat, nec nunquam discessurus Garf. de *Acquæst. conjug. n. 142.* Caslan. *ad consf. Burg. rub. 4. §. 2. d. l. num. 7.* Suarez. *de lucro marit. & uxor tit. 1. num. 42.* 2. Secundo si expressè inter conjuges aliter fuerit conventum, sic enim leges domicilii uxoris suam habituras vim lubens largior. Suarez *d. l. in fin.* Goris *in adversf. jur. tr. 1. c. 6. num. 7.* Caslan. *ad consf. Burg. rub. 4. §. 20. in verb. Avec ce.* 3. Addunt nonnulli tertiam limitationem, nimirum si mulier probabili errore ducta, legem sive consuetudinem domicilii maritalis penitus ignoraverit, Goris d. l. Hanc tamen aliis displicere intelligo, qui hoc tantum in casu eam admittunt, si uxor tempore contractus revera credidit maritum non esse exterum, sed civem, & ejusdem secum nationis, Garf. *de acquæst. conjug. n. 143. & seq.* Covarruvias *de matrim. part. 2. c. 7. n. 10.* Mulier enim sequendo forum mariti ejus statuta approbare censetur, sciverit autem ea an ignoraverit statuta loci ejus, in quem migraverit, refert nihil, cum scire debuisset, Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 399.*

§. XIII.

Vel in loco tertio matrimonium sit contractum. Adsertio hæc, de mariti domicilium attendendo secundo extenditur, etiamsi extra utriusque domicilium in loco tertio matrimonium contractum fuerit, hinc, si, forenses eo in loco contraherent matrimonium, ubi bonorum communio introducta quidem esset, sed postquam aliò, ad suum, scilicet domicilium commigrent, ubi communi vivitur jure, nulla inter illos erit bonorum communio. Besoldus *ad jus Provinc. Württemb. part. 4. th 22.* Aut conjuges extra domicilii locū bona sita habeant. Obtinere idem volunt tertio tum etiam cum conjuges bona quædam extra domicilii locum habeant sita; Scilicet ut etiam ea, in communionem bonorum, mariti domicilio receptam veniant. de quo tamen pronunciato admodum discrepantes Dd. reperio sententias, multosque ejus decisionem petere malle, ex diversa statutorum natura & effectu: Nimirum putant isti in eo rei cardinem versari, utrum à statuto personali, an verò reali

profluat

profluat hæc bonorum communio, hoc eſt an ſtatutum, bonorum inter conjuges ſocietatem fovens, haberi debeat perſonale, quo caſu valere id quod diximus; an verò reale; & tum bona alieno in territorio ſita excluſa volunt; Illud tuetur Molinæus, *conſ. 53.* Goris *in adverſ. juris. tr. 1. c. 6. n. 16. & 17.* Hoc Caſſan. *ad conſ. Burg. rub. 4. §. 2. in verb. ſelon la generale couſtume. n. 12.* Peck. *de teſtam. conjug. libr. 4. cap. 28.* Everard. *in loc. legal. loco à nomine dignitatis officii.* Statutorum n. (ut hoc quoque addamus, quo apertius de eorum mente conſtet) tres ſpecies, ut & conſuetudinis, nempe perſonale, reale & mixtum, conſtituit Argentræus *in tr. ad conſuet. Britan.* Nicolaus Burgundus *ad conſ. Flandr. tr. 1. num. 1. & ſeqq.* quos ſequitur Lambertus Goris *in adverſ. jur. tr. 1. c. 6. numer. 14.* Ob id notati à Rotenburg. *tr. de jur. conjug. tit. 1. cap. 2.* qui mixta non agnoſcit. Quæ autem Realia ſint, quæque perſonalia ſtatuta, & genuina eorundem differentiæ nota, unde ſit ſumenda, non anxie inter ſe minus diſceptant authores. Bartholus *ad l. 1. C. de SS. Trinit.* ex orationis ſtructura, verborumque ordine id dijudicandum præcipit, quem ſecuti ſunt multi à Theſauro *libr. 2. quæſt. Forenſ. 4. num. 4.* enumerati. Improbat hos Rotenburg. *d. tr. tit. 1. n. 1.* aliter hanc rem definiens, cui addi poteſt Mevius *ad jus Lubecenſ. quæſt. prælim. 4. num. 25. & ſeq.* Aſſignant nonnulli eorum, eam præcipuam inter ſtatuta hæc differentiam, quod illa, realia ſcilicet, nec territorium egrediantur, nec vim ullam ad alterius territorii bona porrigant. Hæc autem ultra territorii ſui metas efficaciam ſuā exſerant, bonaq; alibi etiam ſita comprehendant, Rotenburg, *d. tit. 1. cap. 3.* quod tamen diſcrimen alii non agnoſcunt, ſed omnia ſtatuta ut quæ vim capiunt ex poteſtate ſtatuentium, intra territorii ſui metas conſtringunt, vid. Mevium *ad jus Lubecenſ. quæſt. prælim. 3. num. 1. & 2.* Carpzovius *part. 2. conſt. 4. defin. 53. num. 7. & part. 3. conſtit. 12. def. 12. num. 4.* Gail. *lib. 2. obſer. 124.* videri tamen quoque poterit Peckius *de teſtam. conjug. libr. 4. cap. 28. num. 3.* Burgundus *ad conſ. Flandr. tr. 5. num. 8.* Mevius *ad jus Lubecenſ. quæſt. prælim. 6. num. 1. & ſeqq.* qui conſuli poſſunt, ne in his, quæ ad præſens propoſitum eximie non pertinent, ſimus prolixiores,

 §. XIV. Reli-

§. XIV.

Relictis hisce distinctionibus, statuimus, non ea solum communicari bona, quæ in loco contractus seu domicilio mariti possidentur, sed & quæ alio in territorio sita sunt. Id quod exemplo clarius fiet: fingamus in Hollandia matrimonium contrahi, ubi omniũ bonorum societas recepta invenitur, heic non solum bona quæ contractus territorio inclusa sunt, sed & ea quæ alio in territorio existunt, ista consuetudinaria bonorum societate comprehendentur, etiamsi in loco rei sitæ alia, aut nulla bonorum communio usum inveniat. Adsertio nis nostræ fundamentum desumimus ex comparatione societatis conjugalis cum ea quæ expresso inter alios innita est pacto. Sicuti enim in hac statim post consensum & initam conventionem bona omnia, quocunque veniant nomine, quæ socii tempore contractæ societatis habuerunt, ipso jure sine prævia traditione communicantur. *l. 1. l. 2. & 3. l. 73. pro soc.* quia juris intellectu traditio tacite intervenisse fingitur, Franzkius *in Comment. ffonum, d. tit. num. 41. & seqq.* Struvius *exercit. ad ff. 22. thes. 23.* neque distinguunt dictæ leges inter bona ea, quæ in loco celebrati contractus, & quæ in alieno territorio sunt sita: Ita quoque eundem in modum in nostra conjugali societate res sociorum omnes præsentes, seu intra seu extra territorii locum fuerint sitæ, absque præcedente vera traditione ipso jure communicantur, vi subintellectæ traditionis videatur, Lambertus Goris *in advers. jur. tract. 1. cap. 4.* cum regulariter consuetudinaria hæc societas nihil differat ab ea, quæ consensu expresso inter alios contrahitur, ceu supra probatum ivimus.

§. XV.

Ac in loco rei sitæ certa & solennis forma alienandi sit introducta.

Vera hæc esse existimamus, etiamsi in loco rei sitæ, certa & solennis forma in rerum acquisitione & alienatione introducta reperiatur, citra quam alienatio rata & valida non habeatur; Ejusmodi etenim statuta quæ certam formam alienationibus imponunt, exaudienda sunt de alienationibus illis, quæ fiunt mediante traditione vera, non verò de illis quæ ipso jure sine præcedente aliqua traditione peraguntur; Heic autem, cum alienatio seu communicatio rerum ipso jure fiat, eo usque extendi nullo modo de-

do debent, ne correctio juris communis per tacitos & subauditos statuti intellectus introducatur, aut dispositio ejusmodi statutorum, quæ stricti sunt juris, Carpzovius *part. 3. constitut. 20. defens. 11. numer. 6.* & propriè accipienda, ultra casum expressum extendatur. Carpzovius. *part. 3. constitut. 20. defin. 10. numer. 7. & 2. constitut. 14. def. 52.* Dissentire hic videtur Rottenburg. *de jur. conjug. tit. 2. cap. 5. numer. 12.* Qui docet non ipsa rerum corpora hoc in casu communicari, sed socium tantum judicio societatis ad faciendam communicationem obligari.

§. XVI.

Cum ergo ut dictum, ad locum domicili mariti & ejus jura hic sit respiciendum, sua sponte inde fluit, quod si in loco domicilii mariti nulla recepta sit bonorum communio, tunc etiamsi in natali solo uxoris, aut ubi bona illorum sita sunt, bonorum societas vigeat, nulla inter conjuges censeatur bonorum communio, Cassan. *ad cons. Burgund. rub. 4. §. 2. in verb. Au dische de Bourgongne.* Lambertus Goris *in adverf. jur. tr. 1. cap. 6. num. 9.* Etenim eo ipso, quod simpliciter matrimonium contrahunt, nec hoc in casu diversum quid mutuo paciscuntur, consensisse etiam in leges domicilii, communionem damnantes, & matrimonium pristinæ vi & naturæ relinquentes, adeoque inter se nullam bonorum communionem voluisse, firmiter præsumuntur, vid. Rottenburg. *d. sæpè tr. tit. 2. cap. 5. num. 15.*

§ XVII.

Si autem maritus reliquerit domicilium prius, quod tempore contracti matrimonii habuit, & aliò habitatum cum uxore ierit, ubi communi fortassis jure vivitur, aut alia communionis species viget, prioris ne an verò posterioris domicilii ratio habenda sit, non gratis disquiritur. Communis est Dd. sententia, prius heic domicilium spectari debere idque non tantum quoad bona priori domicilio quæsita, sed & quoad ea, quæ posteriori lucri fecerunt, Joan Lopez. *tr. de lucro marit. & uxor cap. 6. num. 32.* Bœrius *ad cons. Bituricens. tit. de consuet. matrimon. §. 4. versu, qui incipit tertia conclusio &c.* Garl. *de acquæst. conjug. numer. 141.* Rodericus Suarez. *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 42.* Co-

Vel maritus prius domicilium postea mutaverit.

varruvias *dict. part.* 2. *cap. numer.* 9. domicilii enim mutatio nuſpiam refertur inter modos diſſolvendæ ſocietatis ſemel conſtitutæ, nec admittendum, cum mutato loco protinus mutare animum, quem ſemel initi matrimonii tempore declarunt. Et quam facile uxoris fraus fieret, ſi marito fas eſſet mutando domicilium etiam ratione ſocietatis matrimonialis, huic aut illi adhærere conſuetudini, Lambertus Gôris, *in adverſ. jur. tr. 1. cap. 7. num. 5. & 6.* qui tamen hoc limitat in caſu eo, ubi ab initio inter conjuges aliter convenit. vid. tamen Mevium *ad jus Lubecenſ. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 401.*

§. XVIII.

Requiſitum C. E. ſecundum eſt matrimonium.

Requiritur ſecundo ratione cauſæ efficientis matrimonium legitimum. Cum enim hæc bonorum communio tacitè, hoc eſt conſenſu conjugum ex facto aliquo elicito contrahatur, aliquid utique præcedere debet, ex quo de tacita conjugum voluntate conſtare poſſit. Ut enim ad conſuetudinem diuturni utentium mores neceſſarii ſunt. §. 9. *Inſtitut. de jur. N. G. & C.* Non quidem tanquam cauſa Principalis ejus introducendæ; cum conſtituatur jus non ſcriptum ſive conſuetudo, tacita legis latoris voluntate, *leg. 32. §. 1. leg. 35. ff. de legibus,* Frantzius *in comment. d. tit. num. 96.* Sed ut idoneum aliquod medium, ex quo ſuperioris voluntas præſumitur & colligitur, vide Frantzium *d. tit. num. 110.* Sic eadem quoque ratione, matrimonium heic adeſſe volumus, ad eliciendam conjugum voluntatem, adeoque illud agnoſcimus ut medium & factum ejusmodi à lege peculiariter eum in modum informatum, quo conjuges conſenſum de contrahenda bonorum ſocietate ad cujusque loci jura expreſſiſſe, animumque declaraſſe credantur.

§. XVIV.

Quo excluduntur 1. ſponſalia.

Requirimus autem perfectum matrimonium. Nam ſponſalia, de præſenti huic bonorum ſocietati conſtituendæ non ſufficiunt, vid. Joan Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. num. 6. & cap. 8. num. 17.* Garſ. *de acquæſt. conjug. num. 52. & ſeqq.* quamvis non ſim neſcius Caſſanæum *ad conſil. Burg. rubr. 4. §. 2. in verbis Femme. num. 17. & ſeqq.* idem de ſponſalibus adſerere ei-

quo

que accedere Cothmannum *consil. 78. volum. 2.* Gail. *libr. 2. observat. 80.* Aliosque plures qui eadem, quæ de conjugibus lata sunt circa lucra matrimonialia, ſtatuta, ad ſponſum item & ſponſam referre non dubitant. Et nos certè eidem ſententiæ faciles nos præbemus, ſi loci alicujus ſtatuto vel conſuetudine hoc expreſſum reperiatur, ſicuti Pictonum moribus id obtinere teſtatur Petrus Rat. *ad conſ. Picton. art. 147. in verbis. Sont communs en biens meubles & acqueſtz.* Sicubi autem obſcuriores conſuetudines inveniantur, aut nihil prorſus hanc in rem diſponentes ſicut in jure mihi Patrio Marchico Padenſi, ſuper hoc puncto nihil cautū reperio; ibi verius omnino dixerim ad ſponſum & ſponſam hanc bonorum communionem non extendendam. Certum etenim eſt ſponſum & ſponſam conjugum nomine propriè non venire, ſive jus ipſum, quod eas voces diſtinguit, ſive proprietatem vocabuli, quæ in ſtatutis maximè conſideranda eſt attendas, Mevius. *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 262.* Addatur Dominus Hahn *ad Weſemb. de ſponſal. num. 6. p. 132.* Sed nec ſponſalia de præſenti verum matrimonium, dici queunt, ut quidam audent contendere: quippe contrahentes ſponſalia affectum eum nondum induerunt, ut hic & nunc conjuges eſſe velint; adeoque deficit ibi conſenſus matrimonialis, qui noſtris moribus in ſacerdotali benedictione primum declarari creditur. Abeſt porrò ſponſalibus his de præſenti, vinculum animorum indiſſolubile ſobolis procreandæ ergo conſtructū, ideoque præter adulterium & deſertionem malignam, alias inſuper incidentes ob cauſas diſſolvi conſuevere, Carpzov. *jurisprud. Conſiſtor. libr. 2. defin. 136. & ſeqq.* Ac dicantur licet ſponſus & ſponſa non ſemel conjuges, etiam in jure civili. *vid. l. 4. ff. de fund. dotal. l. 5. C. de bonis quæ liberis. l. 6. & 8. ff. de gradibus.* hoc tamen ſenſu laxiori idque intuitu ſpei imminentis fieri credendum eſt. Accedit inſuper, quod hæc ſocietas in patrio jure meo Marchico Padenſi, cujus injecta modo eſt mentio, *part. ſc. 6. tit. 11.* §. Darnach. reſtringitur ad ea bona, quæ conjuges durante matrimonio, mutuo labore atque induſtria quæſivere, ibique de conjugibus iis agitur, qui cum vel ſine liberis conſtante matrimonio deceſſerunt, qualia in ſponſalibus de præſenti locum habere haud poſſunt, ſed tantum

 in matri-

in matrimonio perfecto, Mevius *d. art. 12. num. 269.* Neque patitur statutorum ratio extensionem eorum, de quibus agit, ut quæ stricte potius semper accipienda, quo jus commune lædant minimum.

§. XX.

Etiamsi iis accesserit copula carnalis.

Et hoc quidem ita validum crediderim, ut obtineat, etiam si carnalis copula, ut loqui amant, sponsalibus de præsenti accesserit: Concubitus enim nullum facit matrimonium, hodieque postquam matrimouium pro legitimo non habetur, nisi consensus coram sacerdote fuerit publice declaratus, præsumpta matrimonia, de quibus *in cap. antepenult. extra de sponsal.* non admittuntur Zoesius *in Comment. ff. tit. de sponsal num. 4.* Trentacinq. *libr. 3. tit. de matrim. Resolut. 1. num. 1.* Basil. Pont. *de matrim. lib. 5. cap. 22. n. 1.* Guttierez *de matrim. cap. 40. num. 11. & seqq. & cap. 70.* unde nec lucra producit matrimonialia, sed pro turpi habenda commixtione, pœna quam præmio dignior, Mevius *ad jus Lubecens. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 283. & seqq.* Carpzov. *p. 3. const. 19. def. 6.* Valebunt hæc quæ diximus regulariter; limitant enim ea Doctores varie, & præcipue eo in casu, cum per defunctum steterit, quo minus decenti modo matrimonium fuerat consummatum. Mevius *d. art. 12. num. 272.* quod ipsum jus provinc. Wirttemb. *part. 4. tit. 2. §.* Jedoch. probare videtur: plures etiam exceptiones traduntur apud Mevium *d. l.*

§. XXI.

2. Concubinatus.

Excludimus ulterius secundo hoc requisito concubinatum, si quis scil. concubinam per annos complures aluerit, eamque postea in uxorem duxerit; inter hos nulla bonorum durante concubinatu quæsitorum erit communio, Garf. *de acquest. conjug. num. 164.* eorum enim cohabitatio moribus nostris non aliter ac turpis, & non licita habetur, ceu curiam Frisiæ judicasse, testatur Johan. à Sande *tit. 5. lib. 2. def. 2.* Dissentire videtur Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 5. num. 4. adde etiam cap. 6. num. 4.* Denique removemus heic matrimonium clandestinum & incestuosum, de quibus & matrimonio putativo, ut vocant, pluribus ad sequens caput tertium.

§. XXII.

Etsi verò matrimonium, quod hic necessarium diximus, solo conjuga-

conjugali consensu perficiatur, *arg. l. penult. ff. de donat. inter vir. & uxor. leg. 15. ff. de condit. & demonstr.* Præterque illud ad conjugalem hanc societatem introducendam nonnullis in locis requiratur nihil, adeoque communio bonorum introducta videatur simul atque à ministro verbi mulier viro ritè copulata & tradita est, sicuti de comtatu Hollandiæ id adserit Cornelius Neostadius *de pactis. ante nupt. observat. 15. 16. & seq.* Idemque moribus Nivernensium aliorumque locorum placuisse, testatur Goris. *in advers. jur. tr. 1. cap. 2. num. 3. & seqq.* Parem in hoc puncto benedictioni sacerdotali, ut vulgò loquuntur, efficaciam habet confirmatio Magistratus. ubi matrimonium quoad certas personas extra Ecclesiam, coram Magistratu contrahitur, de quo Goris. *d loc. num. 9.* Neostadius *d. observ. 16.* Vinnius *ad §. 1. Instit. de patria potest. num. 1.* Requirunt tamen aliæ, quorundam locorum constitutiones ingressum insuper thori conjugalis & copulam carnalem, utut ad vinculum matrimonii consensu stabilitum adjiciat nihil, *d. loc. 15. ff. de condit. & demonstr. leg. 30. ff. de Reg. Iur.* Ita moribus urbis Vltrajectensis observari, refert Lambertus Goris *d. cap. 2. num. 1.* quam copulam quoque desiderat consuetudo Frisiæ Johan à Sande *libr. 2. tit. 5. def. 1.* cum quibus conveniunt Regni Lusitaniæ leges, quæ bonorum inter conjuges communionem non prius admittunt, quam si matrimonium copula fuerit consummatum, Ludovicus Molina *d. Iust. & I. tom. 2. disput. 422. num. 3.* Hunc thori conjugalis ingressum totius ferè Germaniæ quoque consuetudines desiderant, prout tradit Christophorut Besold *in thesaur. pract. voce. beth. vid. jus provinc. Wirttemb. part. 4. tit. 2. §. 1.* De jure autem mihi Patrio, num idem dicendum sit, dubitari potest, cum nihil ibi cautum inveniatur circa hanc rem. Affirmanti equidem sententiæ subscribendum videtur, tum propter dictam Germaniæ consuetudinem generalem, tum quod finitimæ provinciæ, præcipuè Ducatus Würtembergicus hunc ritum constanter observet, à quibus mores patriæ nihil dissimile voluisse, haud absurdè quis conjectarit, ex vicinorum namque locorum statutis statuta & mores non incommodè sæpè explicantur, & consuetudines de loco ad alium finitimum non rarò porriguntur, Mevius *ad jus Lubec. quæst. prælim. 10. n. 30.*

Vis autem societatis hujus se statim post benedictionē sacerdotalē nonnullis in locis exserit.

Alicubi post ingressum thalami vel copulam.

§. XXIII.

§. XXIII.

Apud quosdam v. post annuam demum cohabitationem.

Aliorum autem locorum statuta ut societas hæc conjugalis inducatur præter ea annuam conjugum cohabitationem & convictum requirunt, quod sequuntur mores Ducatus Britanniæ ceu ex Argentræo adfert Goris, *d. c. 2, n. 2.* cui similis fere consuetudo in Latio seu ut hodie vocatur Campagna di Roma, reperitur, ibi enim societas inter conjuges post annuam demum cohabitationem incipit, aut postquam sobolem progenerarunt, quo posteriori in casu non tantum inter conjuges, sed inter liberos & conjuges simul, bonorum societas introducitur, ac singulis una defertur tertia, & in eo hæc societas nonnihil est ab aliis diversa, Garf. *libr. 1. decis. 75.* Parum admodum ab his abest consuetudo in plerisque Silesiæ provinciis recepta, cujus vi, bona conjugum susceptis liberis communia esse jubentur, quod latius explicat Hennel, *in Mantiss. de bonor. commun. ad tr. de jur. dot.* In his autem semper ad cujusq; loci jura erit respiciendum, quæ mirum quantum in hac materia varie definiunt.

Aut postq. liberos progenerarunt.

§. XXIV.

Quando societas hæc nostra contracta censeatur.

Ubicunque itaque ex legis vel consuetudinis dispositione matrimonium ad eum modum ita constitutum reperitur, ut voluntatem & consensum societatis contrahendæ involvat, ibi simul ac legitimum matrimonium decenter fuerit contractum, eo ipso quoque tacita conjugum voluntate societas hæc constituta censeri debet: Juris enim præsumptione, quicunque matrimonium contrahunt, id fecisse creduntur, juxta tenorem legum, consuetudinumque loci, quæ pactum ipsum informant. Cassanæus *ad cons. Burg. rubr. 4. §. 2. in verb. Selon la generale coustume.* adde Mevium *ad jus Lubec. quæst. prælim. 4. n. 14.* Modo conjuges expressa conventione eam non excluserint, quo in casu cum aperte de eorum constet voluntate, præsumptio & conjecturæ omnes excluduntur, neque lex vel consuetudo, quæ consensum communionis bonorum introducendæ, ex matrimonii contractu elicit, vim ullam habet, si partes expresse convenerint, quod quælibet bona sua retinere debeat separata, absq; bonorum ulla communione, quod quin liceat dubium est nullum, Treutlerus *vol. 1. disp. 6. th. 6. lit. A.* Garf. *de acquæst. conjug. num. 147.* Mevius *ad jus Lubecens. libr. 1. tit. 5. num. 37. & seqq.*

Caput

CAPUT III.
Subjectum explicat.

§. I.

HOc conjugale bonorum consortium recte contrahunt omnes illi, qui legitimum inire possunt matrimonium, ita ut quicunque individuam vitæ societatem constituere potis est, idem huic bonorum quoque communioni idoneus habetur meritò. Quam etiam omnes, qui justas nuptias ineunt, tacite contraxisse credendi, vid. §. ult. præced. cap. 2. Requiritur ergo ratione subjecti, ut quis matrimonium valide inire possit, nec refert sive Nobilis ille, sive non, Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 46.* Miles vel Paganus, Suarez *dict. tr. num. 32.* pauper vel dives. Et mulier si opulento marito nihil attulerit, lucro nihilominus fruetur, socialisque communionis erit particeps, Besoldus *ad jus provinc. Würtemb. part. 4. tit. 5. th. 23.* Heigius *part. 1. quæst. 30.* Dives enim egenam si ducit, quam pacto nullo à lucris excludit, secundum leges matrimonii, quæ inter pauperem & divitem non distinguunt, eam duxisse censetur, & ità sentit Peckius *de testam. conjug. libr. 2. cap. 3.* & cum eo Cassanæus, *ad consuet. Burgund. rubr. 4. §. 2. in verbis Mariee,* addatur Mevius *ad jus Lubecens. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 357. & seq* præcipuum enim, quod heic adtenditur, amor est mutuus, labor item & industria conjugum, Cassanæus d. l.

Subjectum sunt omnes qui justas nuptias contrahunt;

Etiam Nobiles & milites.

Atque mulier pauper & indotata.

§. II.

Verum, si mulier contracti matrimonii tempore se divitem jactitaverit, atque sic maritum deceperit, an eo quoque casu quæstibus frui debeat, dubitari potest. Nullam heic societatem, quoad communionem bonorum futuram, non inepte quis concluserit, adeoque mulierem tam falacem ob culpam à participatione quæstus excludendam videri, Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. n. 39. & seq.* quem sequitur Schepliz *ad consuet. March. part. 3. tit. 2. §. 1. & 4.* addatur hic Maynardus *libr. 2. decis. Tholosan. 72.* ubi de marito agit, qui tempore contracti matrimonii certam pecuniæ summam conferre promisit, & non præstitit. Præsertim si uxor quoq; ad rem familiarem operæ aut industriæ conferat nihil, sed otiosa

Sed non ea, quæ divitem se jactando maritum decipit.

 in domo

in domo marti sedeat, vid. *l. 48. de operis libertor.* Carpzov. *part. 2. constit. 25. def. 15.* Attamen Besoldus *ad jus provinc. Würtemb. part. 4. th. 23.* simpliciter hoc admittere non audet, sed distinguendum putat inter virum acquiescentem & protestantem, suumque dissensum modo solenni declarantem; & posteriori tantum in casu locum habere vult id, de quo loquimur. Cæterum consuetudinem aliter passim monere, uxorique indistincte partem lucri deferri, testatur Mevius *ad jus Lubecens. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 357.* Suarez *dict. tit. 1. num. 39. & seqq.* De eo qui minor est annis viginti quinque, quæri posset, an matrimonium ineundo societatem hanc bonorum absque curatoris sui consensu firmiter contraxerit? Huic enim & jure civili, si curatorem habet, *l. 3. Cod. de in integrum restitut.* & consuetudinario, bona administrandi, seque ipsum obligandi adempta est potestas, & in specie societatis ineundæ, Hector Felicius *tr. de societ. cap. 5. num. 1.* Verum jure consuetudinario hoc in casu curatoris consensum non necessarium arbitramur, ubi enim jura hanc societatem inter conjuges æquam, & stabiliendæ concordiæ conjugali aptam judicarunt; ibi quoque minoribus, qui matrimonium sine curatoris consensu valide contrahunt, potestatem conjugalem societatem contrahendi concessisse videntur. Accedit denique in matrimonii contractu plerunq; propinquorum & amicorum tam consensus quam præsentia, per quæ minori illi, de quo agimus, satis consultum judicaverim. Hanc sententiam nobiscum defendit Maynardus *libr. 6. decis. Tholosan. 39.*

Quod tamē morib. non observatur.

Neque minori curatoris consensus heic est necessarius.

§. III.

Ratione hujus requisiti excluduntur à consortio hoc bonorum, omnes illi, qui matrimonium contrahere vel natura impediuntur, vel prohibentur jure; qui autem tales sint colligere licet ex iis, quæ Dd. *ad tit. de ritu nuptiarum* tradunt. Adeoque si maritus natura frigidus & impotens est, bonorum communio cessat, Besoldus *ad jus provinc. Württemb. part. 4. th. 32.* Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 281.* Modo ex hac causa divortium, ut ita dicam, sit quæsitum, sin ad vitæ usque exitum cohabitent, hoc laudabilis patientiæ præmium uxor meretur, scilicet portionem lucri, Carpzovius *part. 3. constit. 19. def. 5.* Mevius *ad jus Lubecens. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 281. & seq.*

Excluduntur itaque 1. hic matrimoniū contrahere prohibiti vel impediti.

§. IV.

§ IV.

Exterminantur heic pariter, ficuti fupra quoque teftati fumus, illi qui clandeftinas contrahunt nuptias, *arg. leg. 4. Cod. de inceft. nupt.* inter quos conjugalis bonorum focietas lucrorumvè admittenda omnino nulla, Garfias *de acquaft. conjug. num. 160.* Quod occulta illa latensq; conjunctio, legitimi conjugii cenfuram non fuftineat. *cap. 3. extra de clandeft. defponfat. can. aliter. cauf. 30. quæft. 5.* Ex tenore namque juris Canonici, quod mores noftri in eo puncto fequuntur, vid. Carpzov. *Iurisprud. confiftor. lib. 2. def. 142.* coram Ecclefiâ, interveniente Miniftro verbi matrimonium contrahi debet, ut fine qua facerdotali benedictione nuptiæ non creduntur juftæ, vid. Hahn *ad Wefemb. de ritu nupt. n. 2. pag. mihi 137.* De jure equidem extra controverfiam hoc eft; audent tamen alii pro legitimo agnofcere matrimonium id, cui hoc deeft requifitum, adeoque liberos ex ifto procreatos mortui parentis heredes effe docent. Carpzov. Iurisprudent. Forenf. *part. 3. conftit. 14. def. 12.* Wefembecius *ad digeft. de ritu nupt. num. 2.* Cypræus *de matrim. cap. 3. §. 2. numer. 2.* quam fententiam in favorem liberorum plures amplectuntur alii. Arcendi porrò à focietate bonorum illi, qui vetitis & inceftis nuptiis fe contaminarunt. *arg. d. l. 4. C. de inceft. nupt.* quales funt, qui per fanguinis conjunctionem, aliamve idoneam & piam rationem in conjugio fimul vivere prohibentur. His etenim pœnas illicitæ conjunctioni debitas, deftinarunt leges, honorem verò & favorem conjugum nufpiam *vid. leg. 4. & authent. inceft. C. de inceft. nupt. §. penult. inftitut. de nupt.* Deinde introducta hæc eft, focietas ftabiliendi amoris conjugalis ergò firmandique vinculi ejus, horum autem turpis & nefarius amor nihil minus quam firmari meretur; Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 255.*

2. Clandeftinas nuptias contrahentes.

Itemque 3. aliis vetitis nuptiis fe contaminantes,

§ V.

Quod fi uterque conjugum impedimenti illius fit planè nefcius, atque fic putativum, ut barbare loquuntur, matrimonium fuerit; eo in cafu communionem bonorum plerique Doctorum admittunt: Idque primò *arg. cap. 2. extra de donat. inter vir. & uxor.* qui textus quamvis de alio loquatur cafu, *vid. §. 6. cap. 2.* non incongruè tamen huc referri poteft ob fimilem utrobique rationem.

Nifi uterque impedimentum ignoret

2. *arg. leg. 22.* §. *final. ff. ſolut. matrim.* ubi ad matrimonium quoque putativum, dotis privilegia extenduntur, denique 3. quum hæc conjugum ſocietas, mutui laboris ac induſtriæ, nec non communium conſortii, ſocietatisque onerum cauſa ſit introducta, quia uterque rem familiarem adaugere velle judicatur, eademque ratio in putativo matrimonio locum habeat, jdem jus quoque obſervare fas eſt, Covarruvias *de matrim. part. 2. cap. 7.* §. *1. num. 9. in fin.* Lambertus Goris *in adverſ. jur. tr. 1. cap. 1. in not. num. 62.* Garſ. *de acquæſt. conjug. num. 159.* Petrus Rat. *ad conſ. Picton. art. 292.* §. 2. Suarez. *d. tr. tit. 1. num. 16. & ſeqq.* Eandem ſententiam ſecuta eſt in caſu ſimili Curia Friſiæ, Joan à Sande *libr. 2. tit. 5. definit. 2.* itemque Senatus Luſitaniæ, ut refert Marta *in digeſt. noviſſ. tom. 3. tit. ſocietas. cap. 23.* quod tamen non aliter locum inveniet, quam ſi conjuges comperto errore ſtatim hoc matrimonium dirimi petierint, *leg. 4. verſ. exceptis. C. de inceſt. nupt.* Caſſanæus *ad conſ. Burgund. rubr. 4.* §. *2. in verbis Femme num. 4. & ſeq.* Hinc ſi errore comperto matrimonium dirimi neglexerint, nullam quæſtuum communionem inducendam eſſe infert Caſſanæus *d. loc. ubi ſeq. num. 13.* elegantem ſimul facti hujus proponit ſpeciem, atque juris errorem etiam excuſare, addit; Quæ heic nobis obſtare videntur, reſolvit Covarruvias *d.* §. *1. num. 9.* Suarez *d. tit. 1. num. 1. & ſeqq.* quo in loco *num. ſeq. 21.* prolixè explicat, num uxoris, quæ impedimentum ſcivit, portio quæſtuum marito, an vero fiſco cedat.

§. VI.

Excluduntur 4. deportati & banniti.

Excluduntur denique ab hac ſocietate deportati, *arg.* §. *2. inſtit. de cap. diminut.* & banniti ab imperio, Garſias *de acquæſt. conjug. num. 161.* qui hodiè deterioris conditionis ſunt, quam olim deportati erant, de quo *vide ordinationem cameræ part. 2. tit. 9.* §. *2. & 19.* Gailium *de pac. pub. libr. 2. cap. 1. n. 20.* Tandem à ſubjecto removent Dd. illos qui ſe invicem decipere ſtudent; *arg. leg. 3.* §. *fin. pro ſoc.* Peckius *de teſtam. conjug. lib. 2. cap. 4.* Suarez. *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 40.*

Et denique 5. ſe invicem decipere qui ſtudent.

Caput

Caput. IV.
De Objecto.

§. I.

Procedimur nunc ad objectum, quod in genere constituunt res in commercio existentes, *arg. leg. 63. §. ult. ff. pro soc.* Ut & facta honesta licitaq;, *leg. 57. §. 17. ff. d. tit.* Et in societatem quidem conjugalem bonorum omnium, omnia omnino conjugum bona veniunt tam præsentia. *arg. leg. 1. §. 1. pro soc.* quam futura, quomodocunque & quacunque ex causa sint quæsita, seu oneroso seu lucrativo titulo *arg. leg. 73. ff. eod.* Regulariter enim omnia ea, quæ in expressam societatem deducuntur, hac etiam conjugum societate comprehendi possunt. Hinc quicquid alterutri conjugum dono obvenerit, societati quæsitum est, *arg. leg. 3. §. 1. ff. d. tit.* aut si hæreditas vel legatum, alterutri deferatur, pars eorum socio debetur, *arg. d. leg. 3. §. 1. l. 73. ff. pro soc.* Etiamsi hæreditas ex testamento delata sit, illi qui omnino successurus erat, Mozzius *de contract. tit. de societ. pag. 510.* Ulterius etiam illud in commune redigendum, quod pars altera propter delictum in se commissum, pœnæ nomine est consecuta, *arg. leg. 52. §. 16. ff. pro soc.* Item quicquid marito ex salariis, stipendiis aliave muneris publici occasione acquiritur *arg. l. 52. §. 8. ff. d. t.* Thesaurus item ab altero conjugum inventus, communis erit, Mozzius *tr. de contract. tit. de societ. pag. 511.* Hector Felicius *tr. de societ. c. 12. n. 24.* Nec refert communi ne an propria pecunia aliquid fuerit quæsitum, Hector Felicius, *d. c. 12. numer. 21.* Ex turpi autem & inhonesta causa, si quid paratur, hinc procul excesse jubemus, *leg. 53. leg. 57. ff. pro soc.* Nulla namque inhonestarum est societas, *leg. 57.* uxor ergo & maritus, si furto vel mordente usura auctiores facti fuerint, nihil in commune conferre tenentur, *d. leg. 53.* Si tamen de facto res istæ communicatæ fuerint, alter socius lucri exors non erit, *d. l. 53.* Nec aliter repetet res collatas, quam si damnatus fuerit, *l. 54. ff. pro soc.* Et tum quidem pœnam luet sola pars nocens, nisi conscio socio in medium res fuerit collata, tum enim æquitati proximum, ut qui lucri, idem & damni fiat particeps, *l. 55. ff. pro soc.* Pro condemnato vero hoc loco ha-

Veniunt in hāc omnium bonorum societatem res, quæ etiam in expressam deducuntur.

bendum etiam illum esse, qui verbi ministro in confessione ecclesiastica rei perperam quæsitæ restitutionem promiserit, tradit Hector Felicius, *tract. de sociat. cap. 12. num. 43.*

§. II.

Excluduntur vero feuda, quæ coniug. tempore societatis initæ habuerũt.

De feudis nunc inquirendum, utrum illa quoque in hanc bonorum veniant societatem. Et quod concernit feuda, quæ tempore societatis hujus constitutæ conjugum fuerant, ea ad hanc societatem haud pertinere, non valde est controversum, Fridericus à Sande, *in Comment. ad consuet. feud. Geldriæ, tract. 2. tit. 2. cap. 3. num. 4. & seqq.* Goris. *in advers. jur. tract. 1. cap. 3. num. 3.* nam bonorum appellatione sine addito posita, feuda non intelligenda sunt, Ludolph. Schrader. *tract. feud. part. 7. cap. 5. num. 48.* neque dispositione generali comprehensa censeri debent, si diversitas feuda inter aliaque bona intercedat, Schrader. *d. part. 7. cap. 2. num. 75.* Hinc etiam statuta in genere cum disponunt, & bona designant, feuda simul comprehendisse non credendum, nisi specialis eorum injiciatur mentio, vel identitas rationis aliud suadeat, Rosenthal. *de feud. cap. 7. conclus. 17. num. 17.* Ea quippe feudorum est natura, ut eorum alienatio, qua dominium vel aliud jus in re in alium transfertur, vid. Schnobel. *disput. Feud. 9. th. 2.* vasallo sine consensu domini, exceptis casibus jure probatis, *vid. 2. feud. 9. 14. 38. & 2. feud. 26.* de quibus Schnobel. *d. disp. 9. th. 16.* vid. Ludwel. *synops. feudal. c. 13.* prorsus sit adempta, *2. feud. 9. §. donare. 2. feud. 44. & 55.* Schnobel. *dict. disput. thes. 3. & 4.* Ludwel. *dict. cap. 17. & tractat. de divisione feudi, cap. 2.* Vultejus *de feud. libr. 1. cap. 10. num. 59.* adeoque communicatio simul feudi prohibita intelligatur, Ludolphus Schrader *tract. feud. part. 8. cap. 1 num. 53.* ne domini conditio alias fiat deterior, ipsique invito vasallus is, quem nollet, obtrudatur. *2. feud. 12.* Ludwel. *d. cap. 16.* Lambert. Goris. *in advers. jur. tract. 1. cap. 3. num. 4.* Quod procedere arbitramur, ratione feudorum maritum spectantium, etiamsi expresse vel tacite, veluti si feudum concessum sit pro se, hæredibus, & quibus ipse dederit, alienatio à domino permissa sit; cum illa alienandi potestas intelligi debeat de personis feudi habilibus. Ludwel. *tract. de success. feud. cap. 6.* quales fœminas non esse, in expedito est, Schnob.

disput.

disput. feudal. 6. thes. 3. nisi certis quibusdam in casibus, de quibus Struvius *in Syntagm. jur. feud. cap. 9. thes. 7. & 8.* Ludwel. *d. tract. cap. 6.* pluresque alii. Extendimus hæc de feudis dicta usque eo, ut ne æstimatio quidem eorum nomine debeatur, Fridericus à Sande, *dict. cap. 3. num. 6.* Nihil enim de his disposuisse conjuges adversum jus tertii, nec feuda in bonorum societatem trahere voluisse, sed potius se jure communi conformasse creduntur. Rotenburg. *tract. de jur. conjug. tit. 2. cap. 5. num. 13.* Quamvis autem in hac bonorum societate feuda ipsa non comprehendantur, fructus tamen exinde provenientes, communes esse tradit Mantica, *de Tacit. & ambig. convent. lib. 6. tit. 15. n. 16.* Hector Felicius *tr. de societ. c. 12. n. 37.* Struv. *exercit. ad digest. 22. ad tit. pro soc. th. 26.* deniq; ratum hoc erit, etiamsi pactis ante nuptialibus de communicandis feudis expresse fuerit actum, Lambert. Goris. *d. tract. 1. cap. 3. n. 5.* Everhard. *consil. 53. num. 9. & 10.* Quod cum dicimus, ad ipsa feudorum corpora respexisse videbimur, illa nempe communionem admittere nullam; conjuges tamen quia se obligasse censentur, personali actione ad id, quod interest pacta conventa adimpleri, tenebuntur, Lambertus Goris. *d. tract. 1. cap. 3. num. 8.* qui sæpius ad eum modum judicatum esse refert, Fridericus à Sande *dict. cap. 3. num. 6.* Everhardus *dict. consil. 53.* Licet de illis communicandis actũ 2. fuerit.

§. III.

Idem censemus, etsi gravior fortassis subsit dubitandi causa, de feudis constante matrimonio ab alterutro conjugum adquisitis, argumento eorum quæ modo diximus, adeoque si quod feudum durante matrimonio ab altero conjugum fuerit acquisitum, integrum acquirenti debebitur, ejusque hæredibus permanebit, Frideric. à Sande *in comment. ad consf. feudal. Geldriæ. tr. 2. tit. 2. c. 3. n. 7.* hoc tamen ad ipsa feudorum corpora restrictum cupimus, nam pretium eorundem conjugibus commune esse debere, haud absurde quis concluserit, cum omnia ea, quæ modis licitis socii in hac universorum bonorum societate acquirunt, commune haberi, & lucrum undecunque proveniens ad utrumque socium pertinere debeat, videatur Fridericus à Sande, *dict. cap. 3. num. 10. & seq.* Latius de his agimus infra §. *penult. cap. 5.* ubi limitationem subjectam etiam heic valere volumus. aut constante matrimonio acquisiverunt.

§. IV. Se-

§. LV.

Sequitur nunc altera ſocietatis conjugalis ſpecies, ſimpliciter bonorum, ſeu quæſtuum dicta. Hæc pro diverſitate locorum diverſa reperitur, ſunt namque alicubi ſtatuta & conſuetudines, quæ eam nimium quantum limitant & reſtringunt, vide David Mevium. *ad jus Lubecenſ. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 113.* alibi contra amplum quæ in modum extendunt, & præcipue hoc repetire eſt diſcrimen quoad res, quæ in eam ſocietatem veniunt, quo in caſu nec firmius aliud, nec tutius quam loci ſtatuta & conſuetudines attenduntur. Ubi autem conſuetudine vel ſtatuto diverſum nihil extat, inhæremus merito civili juri, & ea, quæ in ſocietate expreſſa obtinent, in hac etiam ſocietate recte ſibi locum vendicant, per ea quæ ſupra §. *3. cap. 1.* habentur, adeoq; illatio firma erit à ſocietate expreſſa ad hanc conſuetudinariam ut vocant: ut quicquid in illam venerit, illud in hanc quoque noſtram bonorum communionem venire oporteat. Pertinent ergo huc ea quæ ex quæſtu & negociationib. licitis conjuges conſtante matrimonio acquirunt, *arg. l. 7. & ſeqq. ff. pro ſoc.* h. e. lucrum omne qnod ex ſolertia atq; induſtria perſonæ provenit, ſicuti hoc explicatur jure Provinc. Marchico Padenſi. *part. 6. tit. 11.* §. Darnach. ibi. Durch ihre Geſchicklichkeit / Fleiß vnd Arbeit überkommen vnd erobert. Franciſcus Milanenſis *lib. 1. deciſ. 18.* Boerius *ad conſuet. Bituricenſ. tit. de conſuet. matrim.* §. *2.* Joan Lopez. *de lucro marit. & uxor. cap. 9. n. 63.* Pyrrhus *ad conſuet. Aurelian. tit. de ſociet. inter vir. & uxor. c. 1.* Caſſanæus *ad conſuet. Burgund. rub. 4.* § *2. in verbis. Et acqueſt.* Schulteſ. *quæſt. 14. num. 20.*

Obiectum autem ſocietatis ad quæſtum contracta non ubique eſt idē.

utplurimum tn. ea quæ inexpreſſam de jure civili veniunt, etiā in hanc deducuntur.

§. V.

Referri itaque ad hanc bonorum communionem debent penſiones ex locatione rerum propriarum vel communium perceptæ, Petrus Sanz *de diviſ. bonor. libr. 2. cap. 11. num. 4.* Item reditus & cenſus provenientes ex re mariti propria ſeu patrimoniali, in emphyteuſin vel cenſitico jure alteri conceſſa, Bœrius *ad conſ. Bituricenſ. tit. de conſuet. matrim.* §. *3.* aut quod conjuges ex communi pecunia, emptionis titulo aut alio aliquo acquirunt Sanz. *d. cap. 11. numer. 4.* vel ex pecunia alterius, tempore matrimonii initi allata,

ut ſunt quæ ex locatione veniunt.

ex emptione

compa-

comparant, *arg. l. 7. & seq. ff. pro soc.* & quamvis hæc pecunia ad adlata pertineat bona, quarum proprietas in hac societatis specie non communicatur; quæ tamen eâ parantur, quæsitis annumerari debent tanquam lucrum ex conjugum negotiatione profluens, Besoldus *ad jus provinc. Württemb. part. 4. 6. 24.* Petrus Sanz, *d. cap. 11.* Lopez. *de lucro marit. & uxor. cap. 6. num. 5.* Neque refert sive à conjugibus simul, sive ab alterutro tantum seorsim aliquid acquiratur & unus tantum fortassis sociorum negotiationi operam det, Petrus Sanz, *d. c. 11. num. 15.* Covarruvias *de Sponsal. part. 2. cap. 7. §. 1. num. 8.* Hinc maritus suo ex artificio quæ lucratur, aut quæ salaria intuitu muneris publici accipit, communia erunt, sicuti & ea quæ mulier ex sua arte puta chyrurgia, aut simili industri opera percipit, communioni inferenda sunt, Petrus Sanz *d. lib. 2. cap. 11. num. 15.* Quæstus enim vocabulum omnia comprehendit quæ opera sua socius acquirit, Franciscus Milanensis *lib. 1 decis. 18.* Lopez. *de cap. 6. num. 9.* De jure communi quidem ea, quæ uxor artificio suo acquirit, sibi retinet integra, per ea quæ §. *8. supra cap. 2.* diximus. Hodie tamen post introductam hanc inter conjuges bonorum communionem lucrum illud ad utrumque pertinebit socium, Gail. *de acquæst. conjug. num. 72.* vide Marckgräfl. Bad. Landrecht. *part. 6. tit. 11.* §. Darnach.

Etiamsi pecunia alterius conjugis fuerit propria.

Item lucra ex artificio aut munere publico.

§. VI.

Aliud obtinebit si maritus vel uxor res proprias constante matrimonio cum alia re permutaverit, tunc enim res illa permutatione parata, utut constante matrimonio fuit acquisita, ad hanc societatis speciem non pertinet, nec quæstus jure censetur, sed ei tantum quæsita est, pro cujus re permutata fuit, Rodericus Suarez *de lucro marit. & uxor tit. 1. num. 24.* Petrus Sanz *de divis. Bonor. l. 2. cap. 11. num. 7.* Tiraquell. *d. retract. municip. §. 32. n. 26.* Subrogatur enim in locum rei permutatæ ejusque subit naturam, *arg. l. 36. §. ult. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Johan à Sande *lib. 2. tit. 5. definit. 3.* Pingizerus *quæst. 27.* idem volunt esse si maritus vel uxor constante matrimonio res proprias vendiderit, & pretio eo aliud quid paraverit, Rodericus Suarez *d. tit. 1. num. 25.* Lopez. *eod. tr. cap. 6. num. 5.* Petrus Sanz. *de divis. bonor. lib. 2. cap. 9. n. 6.* Cassanæus

Sed non ea, quæ permutatione rei propriæ quæruntur.

Quod alii male extendunt ad ea, quæ pecunia ex re patrimoniali côparata sunt.

ſanæus *ad conſ. Burg. rubr. 4. §. 2. verbo. Et acqueſtz, num. 7.* ubi tamen addit tutius fore, ſi proteſtatio ejus rei interponatur, Cujacius *in comment. libr. 20. quæſt. Papin. ad l. 72. ff. de legat. 2.* Beſoldus *ad jus Provinc. Würtemb. part. 4. tit. 5. θ. 24.* moti ea præcipuè ratione, quod res hoc modo empta, ſuccedat in locum rei venditæ, & per conſequens ejusdem naturæ cenſeri debeat. Hanc ſententiam, quæ juris analogiæ parum eſt conſentanea, rectius alii improbant, Tiraquell. *d. retract. municip. §. 32. n. 10. & ſeqq.* Nam etſi in judiciis univerſalibus res, veluti quædam genera, functionem ſui in aliis rebus recipiant, & rei pretium in rei ipſius; vel res ex pretio comparata, in pretii locum veniat, *vid. l. 22. ff. de hæredit. petit. l. 21. de hæredit. vendit.* in particularibus tamen judiciis id non obtinere patet *ex lege 7. §. final. ff. qui potior. in pign. l. 48. §. final. l. 52. ff. de furtis.* Franzkius *in comment. ad digeſt. de petit. hæredit. num. 22.* Tiraquell. *d. §. num. 20.* adeoque pecunia quam ex re patrimoniali alteruter conjux cumulavit, patrimonialis heic non habenda eſt, nec res eâ quæſita in locum rei venditæ ſubſtituenda; ſicuti & judicavit curia Friſiæ, teſte Johan à Sande *libr. 2. tit. 5. def. 3. conf.* Garſ. *de acquæſt. conjug. n. 62.* Hoc ipſum limitandum cenſet Tiraquellus *de retract. municip. §. 32. gloſſ. unic. num. 22.* in caſu eo, ſi conjux ſuo nomine, eaq; intentione rem emerit, & ſemet declaraverit, quod in rei venditæ locum ſubire velit. Equidem quod unus ſociorum ſuo nomine pecunia licet communi emit, præterquam in ſocietate bonorum omnium. *l. 67. §. 1. l. 74 ff. pro ſoc.* communicare non tenetur. *dict. loc. 67. §. 1. l. 4. Cod. commun. utriusque Iudic. l. 8. ſi quis alteri vel ſibi, &c.* vid. tamen Franzk. *in Comment. Digeſt. pro ſoc. n. 23. & ſeqq.* Verum in noſtra hac conſuetudinaria bonorum communione diverſum, ſervari, tradunt Covarruvias *lib. 3. variar. reſolut. cap. 19. n. 2.* Caſſanæus *ad conſ. Burgund. rubr. 4. §. 2. in verb. Eſt participante.* Aliique qui ea etiam quæ alter conjugum ſuo nomine emit, communicanda eſſe volunt.

§. VII.

Requiritur ergo ratione objecti 1. ut

Res itaque durante matrimonio comparata ut ad noſtram hanc ſocietatem referri poſſit, ex quæſtu ſeu negociatione acquiſita eſſe debet, reſpicienda enim heic eſt potius cauſa & titulus ex

quo

quo res quæritur, indeq; potissimum dijudicari debet an ad quæstus pertineat, *arg. l. 7. & seqq. ff. pro soc.* cum ratione rerum, referat nihil qualescunque etiam sint. Hinc officia quoque à marito constante matrimonio quæsita, pro parte uxori, jure societatis deberi existimat Garſ. *tract. de expens. & meliorat. cap. 4. num. 15.* Statilius Pacificus *tr. de interdict. Salviano inspect. 3. cap. 2. num. 603.* talia modo illa fuerint quæ vendi & possunt & solent, Garſ. de *acquæst. conjug. num. 67.* qualia officia jure quoque nostro nonnulla reperiuntur quæ vendi & ad hæredes transmitti possunt, vid. Petrus Sanz. *de divis. bonor. libr. 2. cap. 11. num. 12.* & adhuc hodie aliis in locis simile fieri notissimum est. Nolumus autem hoc sic intelligi, ac si officia ipsa pro parte uxori acquirantur, sed quod æstimationis eorum pars uxori debeatur. Covarruv. *libr. 3. variar. resolut. tom. 2. c. 19. num. 4.* Petrus Sanz *d. cap. 11. num. 12.* Impugnat hanc sententiam Cassanæus *ad cons. Burgund. rub. 4. § 2.* & cum eo alii, qui nec officia ipsa constante matrimonio empta, nec æstimationis sive pretii partem cum uxore communicandam statuunt, uxor enim inquiunt, numerum obeundorum non est idonea, ideoque ab officiis iis quæ maribus committuntur est exclusa. *l. 2. de regul. jur.* quorumcunque autem mulier incapax est, ea nec uxori acquiruntur. Tanti tamen hæc ratio nondum est, ut nostram sententiam infringat, quamvis enim uxor ratione munerum ipsorum inhabilis sit, adeoque ad solum maritum ea officia spectent, æstimationis tamen, quo minus sit capax, nullum est dubium, & immerenti alias uxori fraus fieret facillime, si ab æstimatione earum rerum, quæ communibus expensis: & opera seu negociatione acquisita sunt, excluderetur, Covarruvias *d. lib. 3. cap. 19. num. 5.* jus quoque patronatus ex dotatione Ecclesiæ, aut alio modo constante matrimonio acquisitum, quæstibus annumerari debet, ejusque partem indivisam soluto matrimonio uxor habet, quam etiam in heredes suos transmittet, Covarruvias. *d. c. 19. n. 5.* Statilius Pacificus *d. cap. 2. n. 603.* Lopez *de lucro marit. & uxor. c. 6. n. 23.* Garſ. *de acquæst. Conjug. n. 165.* Petrus Sanz *d. tr. de divis. bonor. lib. 2. cap. 11.*

res ex quæstu veniat.

§. VIII.

Ulterius ratione objecti requirimus ut acquisitio fiat ex causa & titu-

2. ut acquisitio non de-

pendeat ex jure ante matrimon. uni conjug. quæsito,

& titulo durante matrimonio superveniente, Molinæus *ad consuet. Parisiens.* §. *43. gloss. 1. num. 124. & num. 187.* Johan. à Sande, *libr. 2. tit. 4. def. 3.* cum non quælibet acquisitio constante matrimonio facta, ad hanc societatem pertineat, sed illa tantum quæ non provenit ex jure eo, quod ante matrimonium ab alterutro conjugum dependebat. Etenim quæ ex titulo antiquiori & matrimonium antecedente veniunt, adeoq; ex jure ante matrimonium in alterutrius conjugis persona radicato dependent, ad objectum societatis hujus non pertinent, Molinæus *dict. loc. num. 187. adde quæ infra de accessionibus diximus,* hinc si maritus ante matrimonium aliquam rem usucapere cœperit, & constante demum matrimonio, usucapio fuerit impleta, res illa solius mariti erit, ut quæ ejus quoque mansisset, si nullum intercessisset matrimonium, Gars. *de acquæst. conjug. n. 99. & in tract. de expens. & meliorat. cap. 22. num. 12.* in quo tamen dubius est, Covarruvias *de matrimon. part. 2. cap. 7. §. 1. num. 13.* Idem dicendum, si res ab uno conjugum ante matrimonium fuerit empta, & pretium constante matrimonio primum solutum. *arg. §. venditæ. institut. de rer. divis.* Gars. *de acquæst. conjug. num. 61.* aut contracto matrimonio demum traditio fuerit facta, quia hic respiciendum est non ad tempus solutionis aut traditionis, sed ipsius tituli & causæ, intuitu cujus solutio & traditio fieri censetur. Joan. à Sande *libr. 2. tit. 5. def. 3.* dissentire heic videtur Cassanæus *ad consuet. Burgund. rubr. 4. §. 2. in verb. Ancienz.* quem sequitur Besoldus *ad jus provinc. Würtemb. part. 4. thes. 21.* existimantes eo in casu, hoc non obtinere, ubi solutio rei ante matrimonium emptæ, dilata fuerit in tempus matrimonii durantis, sed obstant huic sententiæ rationes, quas modo attulimus: ibi enim contractus emptionis, ante matrimonium initum, erat perfectus, & exinde contrahenti jus quæsitum; cujus implementum solum in tempus matrimoni constantis inciderat. Si tamen hoc in casu precium ex bonis communibus fuerit solutum, pars ejus alteri conjugi soluto matrimonio, tempore divisionis pro parte refundi debet, Garsias *dict. loc. num. 61.* per ea, quæ infra *cap. 5.* dicenda sunt.

Vnde heic removetur 1. res, cujus usucapio ante matrimoniū cœpta.

2. quæ ante matrimoniū empta, & eo durante demum tradita, vel pretiū fuit solutū.

§. IX.

Quod si res aliqua, veluti fundus ab uno conjugum comparatus,

ratus sit ante matrimonium sub conditione, ejusque impletio in tempus matrimonii durantis inciderit, distinguendum videtur inter conditioné potestativam & casualem, ut consuevit dici: hæc si contractui adjecta fuerit, fundus ad conjugalem communionem referri nullo modo debet, sed contrahenti acquiritur, idque eo, quod in contractibus conditionalibus non tempus existentis conditionis, sed celebrati contractus sub considerationem venire solet, & ex præsenti tempore vires capere, *l. 26. ff. de stipulat. servor.* Nam tempus conditionis existentis retrotrahitur ad tempus id, quo contractus fuit initus, *l. 9. l. 11. ff. qui potiores in pign.* perindeque habetur ac si nulla fuisset unquam adjecta conditio, *l. 26. ff. de condit. institut.* si vero conditio potestativa sive promiscua, ut vocatur *in l. 11. de condit. & demonstr.* adjecta sit, considerabitur tempus conditionis existentis. *d. l. 9. §. 1. qui potiores in pign.* adeoque fundus quæstibus annumerandus erit, Johan. à Sande, *d. defin. 3,* vid. Lopez. *de lucr. marit. & uxor. cap. 6. num. 13. in fin.*

3. quæ un' coniug. quæsivit sub conditione matrimonio durante, impleta.

§. X.

Si res jure retractus, tempore durantis matrimonii à marito vel uxore fuerit acquisita, & quidem ex retractu jure consanguinitatis, veluti quod res fuerit avita, tum quicquid hunc ad modum retrahitur, id solius retrahentis erit, cum immediata acquisitionis causa dependeat à jure sanguinis ipsius qui retrahit, & per consequens ex titulo & causa etiam ante matrimonium in persona acquirentis radicata, Garf. *de expens. & meliorat. cap. 22. num. 13.* Petr. Sanz. *d. tract. cap. 11. num. 11.* Carolus Molinæus *ad consuet. Paris. §. 20. gloss. 1. num. 47. & 48.* Socio tamen alteri dimidia pretii pars, si ex communi pecunia sumptum, sit matrimonio soluto est restituenda, Molinæus *dict. loc.* Joan à Sande *libr. 2. tit. 5. def. 3.* Eadem ratione si alter conjugum ante matrimonium vendiderit prædium sub lege, intra certum tempus illud redimendi, & postmodum durante matrimonio redimatur, res ea non de novo acquisita, sed ex titulo antiquiori matrimonium antecedente ad pristinum venditorem rediisse censenda, Tiraquellus *de retract. convent. §. 36. num. 164.* illud tamen maximè controvertitur, an res quam maritus ante matrimonium cum pacto retrovendendi emit, postea verò

4. quæ ad alterutrum coniugum retractus iure pervenit.

5. Res quæ ante matrimoniu sub redimendi lege ab uno conjug. erat vendita, & durante matrimonio iterum acquisita.

 matri-

matrimonio durante facultatem rei illius redimendæ à venditore certo pretio redemit, ad quæstus pertinere debeat? videri heic posset affirmativa pars verior propter augmentum pretii, ad redimendum jus venditori reservatum erogati, quo secunda quasi emptio credi posset facta, *arg. l. 72. pr. in fin. ff. de contrahend. empt.* ceu hoc etiam traditur à Cassanæo *ad consuet. Burg. rub. 4. §. 2. in fin.* descendunt tamen in aliam sententiam Tiraquellus *de retract. convent. dict. loc. num. 165. & seqq.* Maynardus *libr. 5. decis. Tholosan. 64. num. 6.* qui fundum pro rata pretii prioris attribuunt viro, pro rata autem augmenti ad redimendum jus erogati, commune utriq; conjugum esse, docent, hos sequitur Johan à Sande *libr. 2. tit. 5. def. 3.* Nos neutram sententiam subsistere existimamus, qum fundum totum pertinere ad maritum statuimus, & ratione augmenti ad uxorem ex parte pertinere pernegamus; Quicquid enim maritus constante matrimonio, pro redimenda facultate venditori antea concessa erogavit, factum est intuitu rei, quæ ante matrimonium ad maritum spectavit adque res allatas pertinuit, idque non tam ad rem istam acquirendam, sed quæsitam conservandam, quæ vero in commodum allatarum rerum expenduntur, habenda sunt pro impensis in rem factis, quorum nomine alterii socio conjugi actio solum competit, qua partem impensarum istarum, ut quæ non intuitu & occasione societatis factæ sunt, consequi potest. Neque obstant his supra adductæ dissentientium opiniones; non Tiraquelli, quia uti modo probatum, illud quod erogatum est, expensarum instar in res conjugis proprias factarum se habet. Non Cassanæi, cum hoc in casu nulla nova emptio appareat, ut ex novo titulo res acquisita dici possit; ad illud enim requiritur, ut emptione contracta, & integris manentibus omnibus, de augendo vel minuendo pretio inter partes sit conventum, ut apparet ex ipsa supra pro Cassan. adducta *l. 72. ff. de contrah. empt.* de qua vid. Franzk. *in comment. digest. d. tit. num. 344. & seqq.* Johan. Ott. Tabor. *in partit. Element. p. sect. 3. §. 39.*

§. XI.

Eadem porro ratione ad societatem hanc non pertinet res
Deniquc 6. ab uno conjugum per transactionem quæsita, hujus enim quam dixi trans-

xi transactionis, ea est conditio, ut non mutet titulum priorem, sed per eam à lite disceditur, & lis redimitur: Conjunx autem qui rem hac ratione consequitur, eam habere censetur ex titulo sive causa, quam in judicium adduxit, cujus vi etiam confessionem juris sui expressit. Fas tamen hic alteri conjugum est in divisione quæstuum, partem pecuniæ pro re in transactionem de bonis communibus expensæ, præcipere, atque deducere *arg. l. 12. ff. pro socio.* Restringit hoc Joan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 3.* Ad casum ubi jus transigentis conjugis incertum est, & obscurum; existimatq; si adversarii jus obvium est & per omnia clarum, alter verò conjugum lite ea super re mota, pro certa pecunia rem acceperit, communioni conjugali annumerandam esse, utpote non per transactionem, sed emptionem potius acquisitam. De quo tamen non temere nostrum suspensum habemus judicium.

quæ maritus vel uxor per transactionem obtinuit.

§. XII.

Illa autem bona, quæ conjuges & socii ante contractam societatem habuerunt, in hanc bonorum communionem non veniunt, ut eorum proprietas invicem communicetur. *l. 7. & seq. ff. hoc tit.* Schultes. *quæst. forens. 14. num. 18.* nisi speciales loci consuetudines certa bona, quæ conjuges tempore initi matrimonii attulerunt, in hanc quoque societatem conjiciant, sicuti Galliæ, aliorumque populorum moribus, præter quæstus etiam mobilia bona, tempore matrimonii allata, inter conjuges communicari, supra *cap. 1. §. ult.* probavimus. In Frisia quoque ex speciali legis dispositione universa suppellex qua cuique ante matrimonium propria fuit, conjugibus ruri degentibus communicari solet, Johan à Sande, *libr. 2. tit. 5. def. 5* suppellectilis vero ejus, quæ in oppidis est, diversam rationem ponit idem Johan à Sande, *dict. defin. 5.* Fructus tamen tamen eorum bonorum, quæ cuique socio propria sunt, ad quæstus constante matrimonio factos pertinere, adque eos referri debere, communior est Doctorum sententia. Quamvis enim principaliter res utriusque socii propriæ, in bonorum societatem ad quæstum contractam non veniant, eatenus tamen eas contulisse videntur, ut commodum & omne lucrum exinde proveniens, inter socios fiet commune: Accedit quod fructus isti, qui ex bonis sociorum

Earum rerū, quæ conjugum tempore contractæ societatis fuere, proprietas hcic nō communicatur.

Nisi loci cōsuetudine aliud sit introductum.

Fructus tn. istarum erunt communes sunt.

ciorum percipiuntur, non ſine induſtria & opera ſociorum proveniunt. Ad eos enim producendos cultura non mediocris requiritur, ut vel ex hac ratione ad quæſtus conſtante matrimonio factos non immerito referantur, *arg. l. 7. l. 8. & ſeqq. ff. pro ſoc.* Et hoc de fructibus induſtrialibus, ad quos producendos induſtria & opera hominis requiritur, vid. *l. 45. ff. de uſur.* dubio carere videtur. De naturalibus, quos ſcilicet natura ſponte producit, parum aut nihil cooperante facto hominis, eſſe poteſt controverſia major. Idem tamen quod de induſtrialibus hic ſentimus, licet namque ad hos fructus producendos nulla vel exigua neceſſaria ſit opera, ad iſtos tamen conſervandos, colligendos & probe cuſtodiendos opera & induſtria hominis accedere debet; tum ob adductam ſupra de induſtrialibus rationem, quod ſocii res ſuas omnes, quoad uſum & lucrum exinde faciendum, communicaſſe ea intentione creduntur, ut lucrumhoc modo obveniens, inter eos commune eſſe debeat; adeoque hi fructus non tam propter operam ac induſtriam, quam ipſis impendimus, quam propter jus ſocietatis quæſtuum jure cenſendi ſunt. Hinc omnes prædicti autores in pr. hujus §. citati indiſtincte loquuntur, inter quos tamen Johan à Sande, *lib. 2. tit. 5. definit. 3.* ex conſuetudine locorum ubivis recepta, non ex diſpoſitione juris civilis fructus ex rebus conjugum propriis ad communionem bonorum refert.

tam induſtriales.

quam naturales.

§. XIII.

Locum habent prædicta in omnibus rebus conjugum propriis, qualeſcunque etiam illæ fuerint, ſint licet reſtitutioni obnoxiæ, aut majoratus jus in iis conſtitutum. Joh. Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. num. 10.* Vel maritus habuerit bona feudalia, nam & horum fructus exinde provenientes, conjugibus erunt communes. *arg. 2. feud. 12.* Johan Lopez *dict. cap. 6. num. 10.* Struvius *exercit. 22. pro ſoc. theſ. 26.* Hector Felicius *cap. 12. num. 37.* adde *§. hujus cap. 4. ſecundum.* Fructus rerum uxoris paraphernalium cui de jure civili acquirantur, non concors eſt Doctorum ſententia, uti videre licet apud Bachovium ad Treutler. *vol. 2. diſput. 7. theſ. 9. lit. B.* cui addi debet Mevius *ad jus Lubecenſ. part. 2. tit. 2. num. 152. & ſeqq.* ubi de hoc pluribus agit; Attamen introducta

Et quidem in rebus coniugum omnibus.
etiam majoratus.
& feudalib.

societate conjugali, inter conjuges isti fructus omnino communes erunt, Petrus Sanz, *de divis. bonor. l. 2. cap. 11. num. 17.* Lopez. *d. cap. 6. num. 11.* qua ratione si uxor feudum habeat paraphernum, fructus ex re feudali provenientes, societati conjugali inferendi sunt, Rosenthal *de feud. cap. 10. conclus. 5. num. 19.* Neque aliud statuimus quoad fructus rerum dotalium: Licet enim de jure communi lucro mariti cedant in compensationem onerum matrimonii. *l. 7. pr. & §. 1. ff. de jur. dot.* Ex quo tamen hodie societas inter conjuges esse cœpit, ad utrumque conjugem pertinebunt, Johan Lopez. *d. cap. 6. num. 11.* etiam si feudum in dotem fuerit datum, vid. Rosenthal. *dict. conclus. 5. num. 29.* Hinc si mulier castrum cum jurisdictione marito dederit in dotem, & postea durante matrimonio alicujus bona propter delictum fuerint confiscata, ea jure communi quidem maritus lucratur tanquam fructus, (mulctæ enim & confiscationes bonorum, fructus & reditus jurisdictionis censentur, Molinæus *ad consuet. Paris. §. 1. gloss. 1. num. 68.*) sed consuetudinario jure ad quæstus referri debent, Cassanæus *ad cons. Burgund. rub. 4. §. 3. fere in fin.* Lopez. *dict. cap. 6. num. 11.* vid. Molin. *dict. tract. §. 43. gloss. 1 num. 183.*

Nec non uxoris paraphernalibus.

itemque dotalibus.

§. XIV.

Annuis reditibus marito in dotem datis, reditus sive census quotannis percepti, ad uxorem ne pertineant, tanquam res dotales, an vero communes sint, controversum esse ait Petrus Sanz, *de division. bonor. libr. 2. cap. 11. num. 31.* Existimamus nos census sive reditus, quos maritus percipit, pro fructibus rei dotalis habendos esse, nam hoc in casu non fructus, sed ipsum jus annuorum redituum, quod uxori competiit, in dotem ab uxore datum creditur. Proinde reditus isti annui sive fructus jure communi ad maritum, *l. 7. ff. de jur. dot.* ubi vero communio bonorum inter conjuges recepta est, ad utrumq; tanquam communes pertinebunt. Et hoc non tantum procedit in reditibus annuis ad vitam constitutis, sed etiam in perpetuis, cum eadem utrobique militet ratio, Petrus Sanz, *dict. cap. 11.* ubi ad contraria respondet. Extendenda autem hæc de fructibus dicta ad bona quoque quæ conjuges constante matrimonio acquirunt, sed cuique acquirenti propria fiunt, ve-

Etiamsi annui census in dotem fuerint dati.

luti

luti quæ obveniunt per ultimam voluntatem vel donationem, de quibus infra, vid. Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 9. num. 65.*

§. XV.

Augmentū duplicis est generis.

Augmenta quod adtinet & accessiones, quæ in rebus cujusq; conjugis propriis durante matrimonio fiunt, tribuenda illa vel tempore soli, vel naturæ aut fortunæ etiam, ut in alluvione, augmento pretii rerum; vel facto & operæ possessoris rei, ut si domus in alterius solo exstruatur, &c. Garſ. *tractat. de expens. & meliorat. cap. 22. num. 1.* Si augmentum sive accessio contingat solius temporis vel naturæ beneficio, pertinet illa ad eum, cujus est res ipsa principalis, ut alteri socio lucri nomine nihil sit præstandum, Garsias *dict. tract cap 22. num. 15.* Quodcunque enim sponte & naturæ beneficio rebus accedit, rem omnino sequitur, cumque ea unitur, & quod de re ipsa, etiam de ejusmodi incremento sentiendum est. Garſ. *dict. loc.* Covarravias *de matrimon. cap. 7. §. 1. num. 11.* nam augmentum quod per modum unionis accedit, eandemque rem constituit, naturam & conditiones rei, cui unitur suscipit, atque sicut eadem res, judicatur. Molinæus *ad consuetud. Parisiens. §. 1. gloss. 1. num. 63.* Hinc alluvionis commodum illius est cujus est fundus alluvione auctus. Item si alterutra conjugum pars sylvam haberet, quæ constante matrimonio suapte natura & sponte fructuosior fuerit facta, augmentum illud quod durante matrimonio provenit, in totum domino rei acquiritur, nec ejus nomine quidquam socio præstat. Garſ. *d. l. n. 17.* vel si domus à marito ante matrimonium empta sit, & durante matrimonio pluris valere cæperit, ita ut primum exiguo pretio parata, nunc longe majori vendatur, hoc augmentum temporis beneficio proveniens, eadem ratione marito quoque adjudicamus, Lopez *tract. de lucro marit. & uxor. cap. 6. n. 14.* Covarruvias *de matrimon. cap. 7. §. 1. n. 11.* Procedunt autem prædicta, cum expensæ in hanc rem aliquæ factæ non sunt; si enim maritus de bonis communibus, in res proprias impenderit, id uxori pro parte reddi debet, ad quod maritus societatis judicio conventus obligatur. Idem dicendum est de usufructu, qui constante matrimonio cum nuda proprietate penes alterutrum conjugum existente, consolidatus est, *arg. l. 4. ff. de jure dot.* Accedit enim

Illud quod temporis vel naturæ, beneficio provenit ad hanc societatem non pertinet.

Vnde usus-fructus quoque durante matrimonio

enim proprietati, propria vi & naturura, cujusmodi incrementa eodem jure, cum re ipſa habentur, *arg. d. l. 4.* Covarruvias *d. cap. 7. de matrim. num. 11.* Garſ. *de expenſ. & meliorat. cap. 22. num. 10. & de acquæſt. conjug. num. 93.* Deinde uſusfructus poſtquam in perſona uſufructuarii finitus eſt, juris neceſſitate cum proprietate conſolidatur & extinguitur, adeoque jus ſeparatum & diverſum à proprietate in perſona domini eſſe deſinit. *arg. l. 5. princ. ff. ſi uſusfruct. petatur. l. 26. ff. de ſervit. prædiorum ruſticorum.* Diſſentientes hîc habemus Caſſanæum *ad conſuet. Burgund. rub. 4. §. 2. n. 12.* Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 59.* Nicolaum Boerium *ad conſuet. Bituricenſ. tit. de conſuet. matrim. § 2.* qui exiſtimant uſumfructum hoc modo conſolidatum, inter conjuges communem eſſe debere, ex ea maxime ratione, quod illa quæ conſolidantur, non videantur acquiſita illo jure ſeu titulo, quo res cui conſolidantur, acquiſita fuit, *arg. §. 9. inſtit. de leg. l. 82. §. ff de legat. 2.* Sed hæc diſſentientium ratio noſtram ſententiam non infringit, nam poſito (neque enim negamus,) uſumfructum ex alia & nova cauſa acquiri, inde tamen communem iſtum fieri, minus recte infertur. Quia excludimus uſumfructum heic non ac ſi ex eadem qua proprietas, cauſa videatur quæſitus, ſed quia propria vi & natura, ſine hominis induſtria & opera, rei conjugis propriæ tanquam ejus incrementum accedit, *dict. l. 4.* atque cum illa ſic unitur, ut una res cum ea efficiatur. *arg. §. final. inſtit. de uſufruct. l. 4. ff. de uſufr.* vid. Molinæus *ad conſuet. Pariſienſ. §. 1. gloſſ. 1. num. 55. & ſeq.* Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. num. 13.* Eadem ſentimus, etiam invito Tiraquello *d. retract. municipal. §. 32. gloſſ. un. num. 72.* in emphyteuſi cum directo dominio conſolidata, quia utrobique eadem adeſt ratio: Garſias *de acquæſt. conjug. num. 98. & tract. de expenſ. cap. 22. num. 11.* Ubi fructus exinde perceptos ad quæſtus pertinere monet, de quo ſupra actum.

[Margin: conſolidatus ad quæſtus non refertur.]

[Margin: Ac emphyteuſis proprietati ea ratione accedens.]

§. XVI.

Aliud obtinere ſi uſusfructus conſtante matrimonio emptus fuerit, adſerit Covarruvias *d. cap. 7. §. 1. num. 12.* & tum uſumfructum utrique communem fieri exiſtimat: ſed diſtinguendum heic eſſe crediderim, utrum Dominus ab uſufructuario emerit faculta-

 tem

tem & jus fructus percipiendi, vid. Franz. *exercit. 5. quæst. 5.* Vinn. *comment. ad* §. *1. instit. d. usu & habitat.* an vero ipsum usumfructum, ut scilicet is à fructuario cedatur, *vid. l. 66. ff. de jur. dotal.* Priori in casu facultatem istam utendi fruendi utriq; conjugi communem esse lubens largior, quia jus istud ex titulo emptionis quæsitum, non occasione & intuitu proprietatis, adeoque facultas fructus percipiendi penes conjuges existit non vi & potestate juris, quod ad alterutrum conjugum pertinet, sed alio & omnino diverso titulo, proindeque ut diversum à proprietate & separatum jus censetur, ex persona usufructuarii dijudicandum, *arg. l. 8.* § *ult. ff. de peric. & commod. rei vendit.* eo usque si restringatur Covarruvii sententia admittendam censemus. Posteriori in casu ususfructus ad quæstus durante matrimonio factos non pertinet, sed permanebit ejus, cujus est proprietas, *arg. l. 4. ff. de jur. dot.* Cum ea ususfructus sit natura, ut in alterius quam fructuarii persona subsistere non possit, tanquam jus personale. vid. §. *3. instit. de usufr. l. 57. ff. solut. matrimon.* Vinnius *ad dict.* §. *1. de usu. & habitat.* sed cessione facta necessario cum proprietate uniatur, *d.* §. *3. instit. de usufruct. l. 66. ff. de jur. dot.* Vinnius. *com. ad dict.* §. *3. num. 4.* Franzk. *ad digest. quibus modis ususfruct. amitt. num. 8.* Proinde cum ususfructus & proprietas in persona domini concurrant, amplius jus utendi fruendi separatum, sive ususfructus formalis intelligi non potest, *arg. l. 5. ff. si usufr. petatur.* Vinnius *in Comment. ad* §. *3. instit. de usufruct num. 3.* vide tamen *l. 3.* §. *ult. ff. de usufruct. accrescend.* Modo heic quoque æstimationis pars sive pretii quo ususfructus est redemptus, alteri socio restituatur, *argum. l. 12. ff. pro soc.*

Sed non facultas utendi fruendi à fructuario durante matrimonio domino vendita.

Ipse v. ususfructus proprietatis domino venditus non erit communis.

§. XVII.

Feuda quæ durante matrimonio aperiuntur, indistinctè ad quæstus refert Cassanæus *ad consu. Burg. rubr. 4.* §. *2. glos. 7.* Boërius *in consuet. Bituricens. tit. de consuet. matrim.* §. *2.* & alii. Ab iis recedunt Molinæus, *ad cons. Paris.* §. *43 glos. 1. num. 186. & seq.* Rosenthal. *tr. de feud. cap. 5. conclus. 67.* Tiraquellus *de retract. municip.* §. *32. numer. 72. & seq* qui distinguunt inter causam ob quam feudum ad dominium directum revertatur & uniatur, utrum

nimirum

nimirum fiat, ex caufa ab antiquo dependente, hoc eft, ut Molinæus loquitur, ex natura rei & caufa five jure fundo dominanti ex contractus vel confuetudinis lege inhærenti, veluti fi feudum ad certam generationem vel tempus fuerit conceffum, an vero ex caufa extrinfeca de novo fuperveniente, ut culpa vafalli: Priori in cafu feudum durante matrimonio confolidatum, patrimonialibus bonis annumerant; in quo iis lubenter accedimus per ea, quæ Molinæus *d. §. 43. num. 176. & feq.* tradit. Augmentum etenim heic fit non opera & induftria fociorum, fed virtute & poteftate dominii directi, jurisque alterutri conjugum ante matrimonium competentis, & feudum quam primum ea ratione finitur, ipfo jure ftatim cum proprietate conjungitur & unitur, ut ejusdem conditionis & qualitatis cum illa efficiatur, ceu tradit Molinæus *d. l. num. 177. & §. 1. glof. 1. num. 63.* adeoq; fi fundus dominans patrimonialis fuerit, ea quoque quæ eo modo accedunt, pro patrimonialibus cenferi. Contra fi communis fit fundus dominans, pro quæftibus habenda effe infert Molin. *d. l. n. 177.* Pofteriori in cafu quando fcil. per admiffam à Vafallo culpam & delictum domino aperitur feudum, (id, quod in feudo novo indiftincte *2. feudor. 24. 26. & 31.* in antiquo vero per culpam jn ipfum tantum dominum commiffam evenit, *2. feudor. 24. & 37.* Ludwel. *in Synops. feud. cap. 17.* Struv. *Syntagm. jur. feud. cap. 15. §. 11. 13. & 14.*) quæftibus annumerant, alterique conjugi partem ejus adjudicant, idque ob eam maximè rationem quod feudum hic non tam finiatur quam per accidens potius, puta culpa vafalli amittatur, adeoq; nova heic acquifitio videatur: atque fic ftatuere plerosque Dd. tradit Rofenthal. d. l. quos ibi enumerat. Verum nos hoc in cafu dubitare cogit ratio juris ac focietatis, de qua agimus, natura: nam ibi quoque feudum fine opera focii, aut negotiatione confolidatur, occafione jureq; ex feudi conceffione refultante, ac in domino feudi ante matrimonium radicato. Si enim dominus feudum concedit, fub gratæ mentis lege & fidelitatis exhibendæ id feciffe colligitur, eoque ipfo ut feudum ad proprietatem iterum in cafu diverfo redeat, fubinnuit. Quando autem feudum vafallus amittit, adque dominum pertinere cœpit, ex juris ratione ita adunitur proprietati & confolidatur, ut una efficiatur

Atque feuda quæ durante matrimonio domino aperiuntur,

Etiamfi id fiat ob culpam vafalli.

 tur

tur res, & dominium seu proprietas plena fiat, adeoq; feudum formaliter consideratum, extinguatur, vid. Struv. *d. tract. cap. 15. θ. 3.* Molinæus *d.* §. *43. n. 181. &* §. *1. num. 163.* denique dominus quando ab ingrato vasallo per delictum subsequens læditur, ei vindictæ sumendæ loco feudum defertur, improbo vasallo in pœnam injuriæ & contemptus adimitur, sicut hoc dissentiens quoque Molinæus agnoscit *in cons. Parisiens.* §. *1. glos. 1. num. 40.* Certi autem juris est, quæcunque sociorum alterutri, ob delictum in se commissum cedunt, præterquam in societatem bonorum omnium, communicare non teneatur, *l. 52.* §. *16. ff. pro soc.* Dissentientium quod concernit rationem, insufficiens illa videtur, neque quod illi volunt, valide satis infert, largiamur enim ibi feudum, vasallo per culpam & delictum perdi, adeoque rem de novo durante matrimonio adquiri. Hoc tamen res ad quæstus referendas etiam non evincit; quia in hanc societatem ea tantum venire probavimus, quæ ex quæstu & negotiatione sociorum percipiuntur, & non quæ aliunde alterutri conjugum obveniunt, *l. 7. & seq. ff. pro soc. vid.* §. *4. h. cap.*

Limitat. Cum verò in hac societatis specie locorum statuta admodum inter se discrepent, si quid singulare & diversum à jure communi circa feuda introduxerint, iis omnino inhærendum esse censemus. Prædicta facilius in subfeudis, quando nimirum feudum redit ad fundum dominantem, qui etiam feudali nexu possidetur, admittenda fuerint, ut quæ ipsimet dissentientes à quæstuum communione exclusa volunt, Rosenthal. *d. conclus. 67.* Molinæus *in cons. Paris. tit. 1.* §. *43. glos. 1. num. 31. & seqq. & num. 187.* sicuti alia quoque quæ alluvione vel alio modo feudis ipsis alterius conjugis stante matrimonio accedunt, & in fructu non sunt, eodem jure cum ipsis feudis habentur, Fridericus à Sande, *ad cons. feudal. Geldr. tract. 2. tit. 2. cap. 3. num. 15.*

§. XVIII.

Sequitur nunc altera accessionis sive augmenti species, quæ facto & industria hominis contingit. Atque heic si quid in rebus unius conjugum propriis opera alterutrius accesserit, v. gr. ædes mariti vel uxoris propriæ accuratius exstructæ, & pretiosiores factæ, augmentum quidem ipsum pertinet ad eum cujus sunt ædes,

quia

quia accessorium suo principali cohæret, ejusque naturam sequitur, quam regulam explicat Tiraquellus, *d. Retract. municip.* §. *1. gloss. 18. num. 58. & seqq.* attamen alteri socio æstimationis augmenti pars est restituenda. Garsias *de Acquest. conjug. num. 73.* Idem est si maritus constante matrimonio ædificia erexerit in solo uxoris, aut ædibus ibi exstructis molas frumentarias aut furnum vel alud quid addiderit; (de horto ad usum domus patrimonialis durante matrimonio comparato, vid. Tiraquellus *de retract. municip.* §. *32. gloss. un. num. 77.*) hæ accessiones in divisione bonorum communium, uxori adjudicandæ sunt, ut quæ in ejus solo reperiuntur exstructa, & proinde solo quoque cedunt §. *30. Institut. de rer. rer divis. l. 7.* §. *10. & 12. ff. de rer. acquirend. Domin.* add. Tiraquellus *d.* §. *32. num. 53.* Expensæ tamen & quicquid ad expoliendam rem confertur, æstimari debent, eiusque æstimationis pars marito debebitur Garl. *de Expens. & meliorat. c. 13. n. 41.* Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 60.* Neque aliud judicari debet de augmentis in rebus majoratus factis: nam accessionum æstimatio, licet rei principalis naturam sequantur, adque possessorem pertineant, in societatem veniet, quia sociorum opera & industria proveniunt, indeque merito ad utriusque socii lucrum pertinere debent, à quo Hispanorum leges recedunt, ut quæ nihil iis in bonis expensarum ratione socio tribuunt, Garl. *de acquæst. conjug. n. 77. & seqq.* relicta saltem potestate socio quæ velit, tollere pro sua parte, *Gars. de expens. & meliorat. cap. 13. num. 47.* Alphonsus de Acevedo, *consil. 38. num. 10.* ubi pluribus in casibus id limitant. Idem valebit si vinea durante matrimonio, in solo alterutrius conjugis plantetur, nam ipsa vinea spectabit ad eum cujus est solum cui omnia implantata cedunt. *l. 7.* §. *ultim. l. 26.* §. *2. ff. de acquirend. rer. domin.* sed augmentum, industria & opera sociorum proveniens, æstimari, & cuique conjugum pars sua jure societatis adjudicari debet, vid. *Gars. de acquæst. conjug. num. 74.* Suarez. *dict. tit. 1. num. 60.* quomodo autem hæc augmenti æstimatio fieri debeat, latè & eleganter exequitur. Garsias *de expens. & meliorat. cap. ult. per tot.*

Augmentũ facto hominis contingens pertinet quidem ad dominuũ rerum quibus accedit, æstimationis tamen pars alteri socio debetur.

Etiamsi augmentum factum sit in rebus maioratus.

§. XIX.

Removentur hinc illicite quæsita.

Dictum est supra societatem quæstuum comprehendere ea, quæ ex licita honestaque sociorum negotiatione veniunt: quo ipso exclusa volumus primo ea, quæ illicitè sunt acquisita, *l. 53. & 57. ff. pro soc. vid.* §. *1. hujus cap. 4.* quæ ne ad petitionem quidem alterius socii bonorum communioni inferre acquirens tenetur, *arg. l. pen. §. porro, ff. de condict. ob turpem causam.* Peckius *de testam. conjug. lib. 2. c. 2. n. 1. & 2.* Sin dubitetur res licite an illicite acquisita sit, juris præsumptione honeste parata creditur, *arg. l. 51. ff. pro soc.* nisi contrarium postea fuerit probatum, de quo tamen videatur omnino PECKIUS *d. l. num. 3.* quod si socius res male quæsitas communioni intulerit, pars ad alterum socium pertinere incipit, ut is qui contulit non nisi condemnatus, jure communi restituendi facultatem habeat; aliud in hac consuetudinaria conjugum societate obtinere existimat Joan Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 9. num. 12.* putatque maritum, si turpiter à se quæsita in societatem contulerit, etiam non condemnatum de bonis communibus ea sumere, & pristinis dominis restituere posse.

§. XX.

2. Hæreditates alterutri coniugum durante matrimonio delatæ.

Removemus ulterius ab hujus societatis objecto ea, quæ non ex industria & solertia sociorum, sed aliunde obveniunt: ut sunt hæreditates cuilibet conjugum delatæ, quæ ad quæstus nullo referri modo possunt, *l. 7. 8. & seq. ff. pro soc.* sed integræ debentur ei, cui delatæ sunt, sicuti expressè quoque disponitur jure Provinc. Würtemb. *part. 4 tit. 4.* §. Da nun/ *& seq. tit. 5.* §. Ferners/ *ut & tit. 6. tit. 7.* §. Fermer an deß Item jure mihi Patrio Marchico Badensi *part. 6. tit. 5. §. 1. in fin.* Durch Erbschafft mit/ oder ohne Testament bekommen/ *&* §. *seq.* Hergegen/ quod repetitur *tit. 11. d. part. 6. §. 1. & seq.* Darnach. Franciscus Milanensis, *Decis. 18. libr. 1.* Everhardus *vol. 2. consil. 30.* Besoldus *ad jus Provinc. Würtemb. part. 4. t. 17.* Boërius *ad cons. Bituricens. tit. de consuet. matrim.* §. *2.* idemq; affirmant Hispani, Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 46.* Lopez *eod. tract. cap. 9. num. 63.* atque hoc de hereditatibus illis, quæ nobis ut debitæ, omnino observenturæ essent, veluti parentum, dubio caret. De illis vero quæ non nisi per testamentum

Non parentum tantum & cognatorum.

mentum ad nos pertinuissent, nonnulli diversum sentiunt, easque quæstibus annumerandas, interque conjuges esse communicandas docent, Jacob Scultes *quæst. pract. 14. num. 19. 27. & seq.* Cassanæus *ad cons. Burg. rub. 4. §. 2. in verbis & Acquæstz.*

§. XXI.

Rectius sentiunt illi, qui hæreditates à quocunque & quacunque ex causa alterutri conjugum dalatas, indistinctè ab hac quæstuum societate excludunt. nam utrobique eadem valet ratio, quod non ex opera & industria socii, sed aliam ob causam, ex benevolo sc. testatoris affectu, nobis obveniant, *d. l. 9. & seq. ff. pro soc.* hinc etiam dictis juribus provincialibus indistinctè à bonis constante matrimonio quæsitis, hæreditates separantur; nobiscum hoc tuetur David Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 59.* Extendenda v. hæc sunt, etiamsi societas inita sit de communicandis quæstibus & lucris per *l. 13. ff. pro soc.* quamvis enim vocabulum lucri sit generale, & latiori significatu omnia comprehendat, quomodocunque quæsita, Hector Felicius *tract. de sociét. c. 12. num. 2.* heic tamen per additum vocabulum quæstus, ad ea lucra restringitur, quæ ex negotiatione tantum, & industria personæ veniunt, Franciscus Milanensis *d. decis. 18.* Limitationem prædicta recipiunt in casu eo, ubi statuto loci vel consuetudine contrarium reperitur introductum: quorundam enim locorum mores hanc inter conjuges communionem extendunt ad lucra quoque ultima voluntate alterutri delata, ceu de moribus Aurelianensium id testatur Pyrrhus *ad consuet. Aurel. tit. de sociét. inter vir. & uxor. c. 11.* ubi limitatio simul additur. De bonis, quæ alteruter conjugum ab eo, cui al âs successurus erat, accepit in anticipationem mortis, vid. *Besold. ad jus provinc. Würtemb. part. 4. 6. 17.* Tiraquellus *de retract. municip. §. 32. num. 46. & seqq.*

Sed cuiusvis quoque extranei.

Limitat.

§. XXII.

Quod de hæreditatibus, idem valebit in legatis, fideicommissis & mortis causa donationibus, quia hæc quoque vel ut debita, vel ex affectione & liberalitate alterius, non ex opera & negotiatione nobis obveniunt, *l. 9. & seqq. pro soc.* Würtemberg. Landrecht/ *part. 4. tit. 4. §.* Da nun *& tit. 5. & 6. §.* Ferner. Lopez *de lucro*

Tertio legata, fidei commissa, &c.

marit. & uxor. cap. 9. n. 36. Boërius *ad consuet. Bituricens. tit. de cons. matrim.* §. 2. quæ ipsa tamen iterum Aurelianensium statuto communicari tradit. Pyrrhus *ad dictas consuet. tit. d. societ. inter vir. & uxor. cap. 11.* Ad res porro eas, quæ aliunde & non ex opera & industria sociorum acquiruntur, & ob id à nostra hac societate excluduntur, pertinere censemus thesaurum, ab uno conjugum inventum: is enim casu & prospera fortuna inventori obvenit, unde & fortunæ donum dicitur *in l. 63. §. 1. ff. de acquirend. rer. domin.* & donum Dei *l. unic. C. de thesaur.* adeoque ad inventorem inventionis jure pertinebit Zœsius *ad Pandect. tit. pro soc. num. 10.* si in fundo utrique conjugum communi ab alterutro repertus fuerit, dimidiam partem inventor sibi retinet, tanquam singulare fortunæ beneficium, reliquam vero partem cum socio dividet, tanquam in communi fundo inventam *arg. §. 39. Instit. de rer. divis. l. unic. C. de thesaur. d. l. 63. §. 2. ff. de acquirend. rer. domin.* quam thesauri partem alter sociorum accipit non vi societatis, sed proprietatis jure sibi in fundo communi competentis, *arg. l. 63. §. penult. ff. pro soc. vid. l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.*

4. thesaurus ab uno conjugum inventus.

§. XXIII.

De rebus alterutri conjugum donatis difficilior res est; alii quæstibus eas anuumerant, removent alii, distinctè ergo in his progrediemur. Dona quod attinet nuptialia, quæ tempore nuptiarum sponsæ & sponso ab amicis aliisq; ad festivitatem nuptialem invitatis offeruntur, Bartolus & qui eum sequuntur, ita dividenda censent, ut sponso cedere debeant ea, quæ ab ejus amicis & consanguineis offeruntur, ad sponsam vero pertinere ajunt omnia, quæ ab amicis & consanguineis ejus donata sunt: quia inquiunt, creditur cognatos uxoris ex singulari affectu sanguinis vinculo orto, ei magis quam sponso nuptialia munera voluisse acquiri, ut ex ratione simili marito cognati huic potius, quam sponsæ munus obtulisse videntur. Nos autem existimamus, inspectis singulorum locorum consuetudinibus, hæc dona nuptialia esse dividenda & conjuges inter communicanda; quia hac in re ad mentem & intentionem donantium convivarum attendendum maxime, cui scilicet donata acquiri voluerint; præsumuntur autem illi, utrique conjugum donatum acquiren-

Dona nuptialia cui acquirantur.

quirendum voluisse, licet more regionis vel ex articulo temporum alterutri conjugum offerantur: sicuti pronunciatunt JurisConsulti Helmstadienses, quos testes adfert Dn. Hahn *ad Wesembec. tit. de jur. dot. in fin.* Carpzov. *jurisprud. Forens. part. 3. constit. 22. def. 1.* His convenit jus provinc. Wirtemb. *part. 3. tit. 8.* §. Wann Eheleut. ubi ejusmodi dona indistincte ad quæstus referuntur. Jure autem mihi patrio cum tertia quæstum pars uxori debeatur. *part. 6. tit. 5.* non dimidiam, sed tertiam tantum partem in donis nuptialib. sibi vindicare posse videtur. Neq; obstat adlata à dissentientibus ratio, cujuslibet quidem partis cognati impenso affectu fuisse videntur erga eam partem, cui sanguinis vinculum eos conjunxit. Quia tamen maritus, ut pars altera per nuptias ad fines cognatorum uxoris accedit, iisque affinitatis jure unitur, propitiam voluntatem cognatorum sponsæ, in se novum affinem habere credimus, eoque nomine non sponso minus quam sponsæ offerri munera videntur. Hæc ipsa tamen dona nuptialia ad quæstus referuntnr ex intentione magis convivarum donantium, qui utrique donatum acquiri cupiunt, & legis dispositione specialiter ea quæstibus annumerante, qusm vi & potestate societatis hujus conjugalis. *vid.* §. *22. supra c. 2.*

§. XXIV.

In reliquis, quæ ex donis constante matrimonio conjugibus obveniunt, distinguendum arbitror inter dona simplicia & remuneratoria: Et illa quidem, ad hanc bonorum communionem non pertinere, sed ei tantum acquiri, cui offeruntur, evidens est. *ex l. 7. 8. & seqq. ff. pro soc.* uti etiam in specie disponitur in jur. provinc. Wirtemb. *p. 3. tit. 7.* §. Was dann. *part. 4. tit. 4.* §. Also auch. *ibi.* oder einig und allein vergabet worden. Ista enim non ex quæstu quodam proficiscuntur, sed mera ex liberalitate donantis, Lopez *cap. 9. num. 65.* Mevius *ad jus Lubecens. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 71.* Besoldus *ad jus provinc. Wirtemb. part. 4. thes. 18.* Franzkius *ad tit. digest. pro socio, num. 22.* Everhardus *vol. 2. consil. 4. n. 2.* Boer. *ad consuet. Bituricens. tit. de consuet. matrim.* §. *2.* Hinc si legatus peregre ad alium Principem missus, torque aureo, vel simili donatus à Principe fuerit, societati huic conjugali id inferre non tenetur, sed præcipuum sibi habebit, Suarez *de lucro marit. & uxor.*

Vlterius huc non pertinent donationes uni coniugum factæ.

tit. 1. num. 34. idem eſt, ſi quivis alius alterutri conjugnm rem donaverit. Suarez *dict. tit. 1. num. 37.* licet occaſione ſocietatis donum ſocio venerit, v. g. ſi ſociorum alter in negotiis ſocietatem concernentibus, ad principem ire habeat neceſſe, & princeps ea occaſione ſocium dono aliquo ornaverit, id ejus manet, cui à principe eſt oblatum. Nam ſocietas hoc in caſu tantum occaſio & cauſa admodum remota donationis fuit, & nullo ſocietatis reſpectu, ſed perſonæ tantum obveniſſe creditur, & proinde ab hac ſocietate excluditur, *arg. l. 60. §. 1. & l. ſeq. ff. pro ſoc.* Franzkius *in Comment. digeſt, tit. pro ſoc. n. 23.* Suarez, Lopez, *dictis locis.*

Etiamſi occaſione ſocietatis obveniant.

§. XXV.

Marito à conſanguineis uxoris & verſa vice quæ donantur, ad hanc bonorum communionem non pertinere, ex jam dictis eluceſcit. Vtri vero ea cedant, marito an uxori, maxime inter Doctores controvertitur, Bald. *in l. cum te. C. de donat. ante nupt. n. 3.* Exiſtimat donata uxori à conſanguineis mariti, uxori ſtatim acquiri, Baldum ſequitur Salicetus *in l. Nec inter. Cod. de donat. inter vir. & uxor.* Mevius *ad jus Lubecenſ. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 72.* Heigius *part. 1. quæſt. 33. num. 29.* adducunt, *l. 38. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 12. l. 23. Cod. de donat. inter vir. & uxor.* quibus in locis hæ donationes ſtatim donatario adjudicantur. Ab hac ſententia recedit Bartolus *in l. ſed etſi plures. §. In arrogato ff. de vulgar. & pupillar. ſubſtit.* qui docet uxori donata à conſanguineis mariti, ejus cauſa donata videri, & proinde ac ſi ipſe vir donaſſet cenſeri debere, eoque mortuo demum iſtam confirmari donationem, juxta *l. penult. C. de donat. inter vir. & uxor.* movetur is ſequentibus textibus, *l. 6. ff. de collat. bonor. l. 5. §. 2. ff. de jur. dot. authentica in donatione. Cod. de ſecund. nupt l 26. ff. de uſufr. l. 45. ff. de acquirend. hæredit.* Nos accedimus Bartolo ea potiſſimum ratione, quod ea quæ intuitu vel gratia alterius quis conſequitur, ab illo ipſo cujus reſpectu eſt conſecutus, hoc habere videtur: ſic donum quod filiofamil. datur, intuitu patris ab ipſo patre veniſſe intelligitur, adq; profectitium refertur peculium. §. *1. Inſtit. per quas perſonas cuique acquiratur.* Franzk. *libr. 2. reſolut. 27. n. 1. & ſeqq.* modo pater fuerit cauſa doni proxima vel principalis, Franzkius

Donata uxori à conſanguineis mariti cui cedant.)

dict.

dict. resolut. n.9.& seq. quæ regula ex supra allatis textibus probatur.

§. XXVI.

Ut vero huic sententiæ nostræ locus esse possit, duo requiruntur, I. ut donum datum sit uxori à consanguineis mariti, nulla alia ratione permotis, quam favore erga maritum; Hinc si in donando aliud respexisse eos appareat qui dedere, uxori res statim acquisita censebitur, *arg. l. 60. ff. pro soc.* II. Requiritur, ut constet donum uxori propter conjugem suum obvenisse. Sicuti enim filiofamil. delatum quod est, ipsius filii potius, quam partris causa datum censetur, *l. fin. in fin. C. de usufr.* Franzkius *d. Resolut. num. 13.* nisi aliunde contrarium appareat: ita quoque quicquid uxori offertur, non præsumitur, viri nomine factum nisi de eo constet: quod fieri potest, testibus qui de animo donatoris deponunt, confessione ipsius, aut denique si in ipsa donatione viri etiam mentio sit facta, v. g. dono tibi centum propter consanguinitatem quæ conjugum inter tuum & me intercedit. Hinc si simpliciter donum uxori à consanguineo sit datum, uxori statim acquiretur, Gars. *de Acquæst. conjug. num. 118.* Quæ supra à dissentientibus sunt adducta, pertinent partim ad casum ubi simpliciter est datum, partim vero ad hanc quæstionem plane non spectant, sicuti pluribus in disputationis actu demonstrare erimus parati. vid. interim Gars. *d. tract. n. 121.* aliud obtinere, si utriq; conjugum cognatus aliquid donaverit, tunc enim communioni bonorum illud inferendum esse, tradit Sanchez *de matrim. vol. 1. lib. 6. disput. 26. num. 4. & 5.* quod tamen non simpliciter admittendum videtur, add. Gars. *d. loc. num. 114.*

§. XXVII.

Bona in subsidiũ novis coniugibus à parentibus data, an sint communia.

Quæ parentes ad sublevandum familiæ onus, alterutri conjugum dederint, v. g. si novi conjuges ab initio ex negotiatione tantum acquirere non potuerint, unde vitam sustentarent, parentes ære, penu, suppellectili huic necessitati subveniunt, ad bona communia pertineant, an vero uxor vel ejus hæredes illorum æstimationem præcipere debeant? Heic quælibet sententia suos habet defensores, ut videre est apud Johan à Sande, *libr. 2. tit. 5. def. 4.* cæterum in hac quæstione prius videndum est, an pater donandi animo subsidium tulerit conjugibus, unde postmodum ipsius quæstionis

nis fluere videtur decisio. Dinstinguendum itaq; arbitramur, an subsidium fuerit modicum an vero majoris pretii, illud pater donasse præsumitur, quia cum benevolentiæ affectu concurrit pietas, quæ in impensis modicis repetendi animum excludunt, Carpz. *jurispr. forens. part. 2. constitut. 12. def. 38. num. 8.* Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 77.* cum autem pater filiæ nomine istas impensas fecisse credatur, tanquam donum filiæ datum ejus præcipuè erit, per superius tradita. Nisi dicamus utrique donatum esse ut in utriusque utilitatem cedat, vid. Sande *d. l.*

§. XXVIII.

Quod si majores fuerint sumptus isti, pater non donandi sed repetendi animo eos suppeditasse, in dubio creditur, *arg. l. 11. & 15. C. de negot. gest.* Neque enim donatio præsumitur, ubicunque alia locum habet conjectura, Carpz. *d. def. 38.* Hinc liberi, mortuo patre, illud in hæreditatem paternam conferre tenentur, per ea, quæ habet Carpzov. *part. 3. constit. 11. def. 15.* quod si hoc inter parentes & liberos obtinet, multo magis locum habebit inter socerum & generum, à quo facilius isti sumptus repeti poterunt, Carpzov. *d. part. 2. constit. 12. defin. 38.* Mevius *dict. t. 2. art. 12. num. 79.* quare hi sumptus ex communibus bonis, tanquam debitum occasione societatis conjugalis contractum, restitui debent, Mevius *d. art. 12. num. 78.* Quæ hactenus diximus de donatione simplici, locum non habebunt si loci alicujus statuto vel consuetudine aliud fuerit constitutum, id quod moribus Aurelian. factum testatur Pyrrhus *ad consuet. Aurel. tit. de societ. inter vir. & uxor. cap. 11.* quibus res alterutri conjugum donatæ, quæstibus indistincte annumerantur; idemque probarunt statuta & mores Frisiæ, Johan à Sande, *lib. 2. tit. 5. def. 3.* modo donans hac lege non dederit, ut soli donatario, excluso altero socio, res cedat, Pyrrhus ad *consuet. Aurelian. dict. cap. 11.* Cassanæus *ad consuet. Burgund. rub. 4. §. 2. in verb. Est participante, num. 2.* Secundo in iis, quæ ab hospitibus & convictoribus discessuris, vel alio modo, matrifamil. donantur, ea mulier seorsim habere non debet, sed cum viro communicabit: offeruntur enim illa respectu operarum æconomicarum, quas uxor in rei familiaris administratione præstat, adeoque profluunt,

Donata à cōvictoribus matrifamil. ad quæstus pertinent.

fiunt ea ex industria & solertia personæ; Extra casum societatis bonorum conjugalis, ejusmodi dona lucro mariti cederent, quia uxor operas æconomicas marito debet, & per consequens etiam illud quod iis acquiritur, Wesembec. *vol. 2. consil. 63. num. 9.* Idem fortassis dicendum in donis illis, quæ uxori puerperæ offerri solent, ut ferunt mores quorundam locorum, ubi non infanti tantum, sed & ipsi puerperæ ab amicis aliisque aliqua donantur: Nam offeruntur hæc dona puerperæ ab amicis, ad contestandam benevolentiam atque lætitiam ob recens natum filiolum, eoque ipso ex parte maritum quoque respiciunt, ut ea heic donantium mens & voluntas videatur, quod utrique conjugi donatum adquiri voluerint. Deinde cum maritus puerperium communibus sustineat sumptibus, subeatque onus expensarum quæ occasione illius, vel etiam in solenne convivium, invitatis ad id amicis & fautoribus juxta quorundam locorum mores, fiunt, æquum est, ut lucri quoque particeps sit, *arg. l. 60. §. 1. ff. pro soc.*

Item quæ puerperæ uxori ab amicis offerri solent.

§. XXIX.

Sequitur donatio remuneratoria ut dici consuevit, quæ ob bene merita & referendæ gratiæ ergo fit. Quæstibus hanc annumerant Hispani plerique, Petrus Sanz *de divis. bonor. libr. 2. cap. 11. num. 38.* Garsias *de acquæst. conjug. num. 123. & seqq.* Rodericus Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 34. & seqq.* idque ex ea ratione, quod illa proprie donationis nomine non veniat, sed potius permutationis quoddam genus dicenda sit, Garf. *tract. de donat. remunerat. num. 13. & seqq.* ideoque leges de donatione loquentes, ad remuneratoriam trahi non debeant. Atque hoc communiter latius extendunt, eamque etiam donationem impropriis annumerant, quæ facta est ob merita, quæ nullum jus agendi, sed naturalem tantum obligationem producunt. Verum rectius monent alii non quævis merita præcedentia, donationem facere impropriam, idque *arg. l. 25. ff. de donat. l. 82. ff. de reg. jur.* cum ex beneficio accepto nulla oriatur obligatio civilis, vel juris gentium, ad quid petendum vel retinendum; beneficia enim ut plurimum sunt incertæ æstimationis, nec tam ex quantitate, quam animo & & indigentia alterius, facilitate & prompta voluntate donantis æsti-

Donatio ob bene merita facta, an ad quæstus pertineat.

manda, vid. Senec. *de Benefic.* diſſimileque prorſus eſt debitum gratiæ & pecuniæ: imo ſi obligatio naturalis ad donationem impropriam faciendam ſufficeret, omnis donatio pro impropria haberi deberet, quia plerumque ea ob merita fieri ſolet *arg. l. 9. ff. pro ſoc.* omnisque donatarius ad ἀντίδωρα obligatur, *l. 25. §. 11. ff. de petit. hæredit.* Bachov. *ad. Treut. vol. 2. Disput. 19. θ 3. lit. E. verſ. Sed hic aliquando.* Donatio itaque ob bene merita facta, ea tantum ad

Quæ merita donationem remuneratoriam faciant impropriã.

improprias referri debet, quæ referendæ gratiæ meritorum ſingularium deſtinatur, in quibus præcipua aliqua opera, vel impenſa invenitur, ut verius eximii laboris merces, quam donum videri poſſit, ſecund. *l. penult. §. 1. ff. de donation.* adeoque propter quæ jus aliquod vel agendi vel retinendi alias competere poſſet, ut in caſu *l. 27. ff. d. tit.* qualia in univerſum ſunt merita, quorum cauſa extra ordinem agi poteſt, de quibus *in l. 1. ff de extraordin. cognit.* aliæque operæ eximiæ, quæ non ſemel majoris exiſtimantur quam pecunia *arg. l. 9. §. 1. ff. Quod met. cauſ.* Franzkius *ad ff. de evictión. num. 506.* In his veriſſimum cenſemus, quod ſupra diximus, ſcilicet leges de donatione loquentes, ad ſimplicem & proprié dictam pertinere, eaque quæ de donatione conſtituta ſunt, in remuneratoria locum invenire nullum, ut quæ accipi volunt de donatione vera, hoc eſt neceſſitate nulla, nulloque jure cogente, ſed mera liberalitate in aliquem collata, *arg. d. l. 27. & l. penult. de donat.* Hinc quamvis evictio in donatione non ſit præſtanda *l. 18. §. f ff. d tit. l. 2. C. de eviction.* heic tamen donator evictionis nomine obligabitur, cum non immeritò aliquid abeſſe dicatur donatario, ratione cujus interſit ejus, ut pro re evicta ſibi ſatis fiat, Franzkius *d. tit. num. 507.* Sic licet donatio patrem inter & filium in ſacris conſtitutum *l. 11. C. de donat. inter vir. & uxor.* regulariter prohibita ſit, *t. t. ff. & C. de donat. inter vir. & uxor.* ob ejusmodi tamen merita facta inter enumeratas perſonas valida eſt vid. *l 10. §. fin. juncta l. 12. pr. ff. mandati.* Bachovius *d. θ. 3. lit. E. in fin.* Franzkius *dict. l. num. 510.*

§. XXX.

Decisio quæſtionis.

Exiſtimamus ergo dona quæ alterutri conjugum ob bene merita durante matrimonio offeruntur, tum demum communicanda

eſſe,

esse, si ea præcesserint merita in quibus insignior opera comparet, & ob quæ jus aliquod agendi vel retinendi competit. *dict. l. 27. & l. pen. ff. de donat.* Etenim ea quæ ob operas insigniores socio donantur, non tam ex liberalitate donantis, quam personæ industria, & quasi ex oneroso titulo veniunt. Hinc donum marito industrio ad rependenda ejus bene merita à consanguineo aliove extraneo oblatum, uxori non communicabit, Suarez *dict. tract. tit. 1. n. 32.* modo illud valorem meritorum non excedat; nam si donum excesserit plurimum merita, illud quod excedit, solius donatarii lucro cedere, tradit Guttierez *libr. 2. quæst. 119.* Besoldus *ad jus provinc. Wirtemberg. part. 3. th. 57. in fin.* Petrus Sanz *de divis. bonor. lib. 2. cap. 11. n. 43.* qui itidem jubet judicis arbitrio subjiciendum esse valorem meritorum & operarum, vid. Gœdd. *vol. 4. consil. Marpurg. 27. num. 116. & 119.* Trentacinq. *libr. 3. resolut. 8. de donat. num. 7.* Clarus *libr. 4. §. donatio, quæst. 3. num. 3.* Seraphin. Olivar. Razzal. *part. 1. dec. 416. num. 20. & 31. ibi: Si excedit merita, judicamus eam in excessu esse donationem puram ex mera liberalitate.* quam meritorum exæquationem non ita præcise urgendam esse, jubet Garsias *de acquæst. conjug. num. 126.* illud tamen heic requirimus, ut donatio facta non sit ob ea merita, quæ matrimonium antecesserunt, Gars. *dict. loc. num. 124. §. 5. supra hoc cap.*

Superfluum donationis remuneratoriæ valorem meritorum excedens, ad quem pertineat.

§. XXXI.

Removenda denique ultimo sunt ab objecto hujus societatis conjugalis feuda durante matrimonio quæsita, Cassan. *ad consuet. Burgund. rubr. 4. §. 2. in verb. Et acquæst.* Rosenthal. *de feud. cap. 7. conclus. 17.* Bruckman. *consil. 44. num. 62. ubi num. 41.* id in specie de Marchia Brandeburgica asserit. Statutum enim sive consuetudo hæc quæ disponit, ut bona constante matrimonio adquisita, communia esse debeant, ad feuda durante matrimonio quæsita trahenda non est, quia ejusmodi consuetudo non pauca quæ de feudis constituta reperiuntur, corrigeret; statutum vero sive consuetudo juri communi derogans stricte exponi amat, Rosenthal. *de feud. d. conclus. 17. n. 17.* Quod itaque feudum maritus, constante matrimonio acquisivit, illud communicare cum uxore non tenetur, sed in solidum ad hæredes suos devolvetur. Idem juris erit in uxore feu-

Feuda autẽ durante matrimonio quæsita communia non fiunt.

dum acquirente, Rosenthal. *de feud. dict. cap. 7. conclus. 38. in fin. vid. supra §. 2. hoc cap.* quod valere ait Rosenthal. *dict. conclus. 17. num. 18. & cap. 10. conclus. 58. n. 27. & seqq.* Etiamsi feuda loci consuetudine facta sint alienabilia, à quo tamen dissentit Nicolaus Burgundus *ad consuet. Flandriæ. tract. 3. num. 19.* Lambertus Goris *tr. 1. cap. 3. num. 7.* Quamvis autem feuda ipsa ad quæstus non pertineant, si tamen alteruter conjugum durante matrimonio emerit feudum, æstimationis pars alteri socio debebitur, *arg. l. 7. & seq. ff. pro socio.* Fridericus à Sande *ad consuet. feudal. Geldr. dict. cap. 3. n. 10.* num vero respiciendum sit ad tempus acquisitionis vel divisionis, si precium feudi durante matrimonio fuerit auctum vel diminutum, explicat idem Fridericus à Sande, *dict. cap. 3. num. 14.* quæ heic describere labor supervacaneus esset. Limitanda hæc de feudis dicta in casu eo, si feudum durante matrimonio utriusque conjugis nomine fuerit quæsitum, ejusque investitura ut vocant, utriq, concessa, tum enim feudum ipsum quæstibus erit annumerandum, solutoque matrimonio dividendum, Lambertus Goris *dict. cap. 3. n. 12.* Rosenthal. *d. feud. cap. 7. conclus. 36. num. 24.* vid. *cap. 10. conclus. 5. num. 30.* atque ita aliquoties judicatum esse in senatu Parisiensi, testatur Fridericus à Sande *d. cap. 3. num. 7.* Hoc autem in casu, quando masculo & fœminæ sive conjugibus feudum aliquod datur, illud mediam naturam feudi fœminei induit, ita ut pars fœminarum successioni sit obnoxia, *libr. 4. feudor. tit. 85.* qui textus quamvis non sit authenticus, quia tamen juri feudorum aut communi non adversatur, in argumentum adduci recte potest, Rosenthal. *de feud. cap. 7. dict. conclus. 38. num. 22.* Vultejus *de feud. cap. 9. num. 50.* acquisitio enim feudi censetur fieri juxta personæ acquirentis conditionem & qualitatem, & eo ipso, dum quis marito & uxori feudum simul vendit, videtur personam mulieris habilitare ad feudum, & à jure feudali recedere, Rosenthal. *de feud. cap. 7. conclus. 35. num. 4.*

æstimatio tamen eorum communicanda.

Etsi feudum utriusq; nomine fuerit paratum ipsum ad quæstus pertinebit.

§. XXXII.

Quæ in societatem conjugum specialem veniant.

Iis vero in locis, ubi specialis, sive certarum rerum societas inter conjuges introducta est, veluti ut mobilia vel immobilia communicentur, ibi omnia ea, quæ ejus generis sunt, & durante matrimonio

monio à conjugibus ex induſtria & opera acquiruntur, communia cenſentur. Quæ autem donatione, teſtamento vel proſpera fortuna obveniunt, ad quæſtus referri non debeut, niſi & hic aliter in ſpecie conſtitutum reperiatur. Quæ autem mobilia ſeu immobilia, & fictione juris pro talibus habentur, ea heic adnotare inſuper habui, videri poteſt Mevius *ad jus Lubec. quæſt. prælimin. 6. n. 20. & ſeqq.* Finis & forma hujus ſocietatis conjugalis conſiſtit in eo, quod fiat de rebus inter conjuges communicandis, & quidem lucri in commune faciendi gratia.

Caput. V.

Proponit Effectum ſocietatis coniugalis.

§. I.

Conſideravimus hactenus ſocietatem hanc noſtram in cauſis ſuis ut conſtituendam & contrahendam; nunc agemus de illa, ut conſtituta in ſuis effectibus; qui vel conſpicui ſunt durante matrimonio vel eo ſoluto & conjugali ſocietate diſtracta. Conſiſtit autem effectus ejus I. in obligatione ſociorum ad bona in commune conferenda, ad quam tamen bonorum collationem ſocios præcisè non cogi poſſe, ſed intereſſe præſtando liberari, docet Bachovius *ad Treutler. vol. 1. Disput. 27. theſ. ult. in fin.* Struvius *exercit. ad digeſt. 22. theſ. 23.* idque *arg. l. 13. ff. de re judicat.* De quo, penitius ſi introſpicias, non immeritò dubitares: hæc enim ſociorum obligatio non continet nudum factum, quod ſcilicet in nuda opera conſiſtit, & nullum poſt ſe relinquit juris effectum, vid. *l. 72. ff. de verbor. obligat.* ſed jus tribuit, cauſamque bonorum habet, vid. *l. 52. §. 1. ff. d. tit.* quia communicare eſt rem pro parte in ſocium transferre; adeoq; pro obligatione dandi habebitur, in qua debitor præcisè ad rem, ſi habet, tradendam compellitur, nec liberatur intereſſe ſolvendo, §. *2. inſtit. de donat.* Hæc autem bonorum collatio pro diverſa ſocietatis ſpecie diverſo fit modo: In ſocietate bonorum omnium, res omnes ſociorum præſentes, (exceptis bonis iis, quorum alienatio conjugibus lege eſt adempta; eorum enim ex ſtatuto nulla oritur communio, Joan à Sommern *de jur. Noverc. c. 1. num. 2.*) ſtatim poſt conſenſum de ſocietate, ſine vera traditio-

Effectus primus eſt communicatio bonorum.

Quæ aliter fit in ſocietate bonorũ.

ne,

ne, communicantur, *l. 1. §. 1. l. 2. ff. pro soc.* Franzkius *ad dict. tit. num. 41.* Struvius *d. thes. 23.* Lambertus Goris *in advers. jur. tr. 1. cap. 1. num. 30.* adeoque conjuges statim post societatem constitutam bona sua tanquam communia possidere incipiunt, Rotenburg. *de jur. conjug. tit. 2. c. 5. num. 14.* excipjuntur tamen nomina, quæ non aliter aliqua sui parte in socium transeunt, quam si ab altero socio cedantur, *l. 3. ff. pro soc.* vid. omnino Hahn ad Wesembec, *tit. pro soc. num. 12. in fin.* quamvis in consuetudinaria bonorum communione universali, etiam nomina inter conjuges statim, atque perfectum est matrimonium, communicari, nec cessionem requiri ad legitimam eorum exactionem, tradat Lambertus Goris *in adversar. jur. tract. 1. cap. 4. num. 22.* quo loco idem Lusitaniæ Regni consuetudine receptum esse testatur. In societate vero bonorum simpliciter, hoc est, quæstum concernente, non communicantur proprietates bonorum, quas quilibet conjugum tempore initæ societatis habuit, sed hunc in finem conferuntur ut uterque negotiationes, artificia, communis quæstus causa exerceat, arg, *l. 7. & seqq. ff. pro soc.* In particulari societate res de qua convenit, conferenda est, de quo Franzkius *ad dict. tit. num. 45.*

Aliter vero in societate quæstuum.

atq; particulari.

§. II.

Effectus secundus est bonorum administratio, quæ marito competit.

Consistit II. effectus hujus societatis, in administratione bonorum societatis ratione communium. Competit autem illa durante matrimonio principaliter marito. Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 58.* Lopez *c. 9. num. 12.* Molinæus *ad cons. Paris. §. 37. n. 1. & 2.* vid. *l. ult. Cod. de pact. convent. tam super dot. &c.* Carpzov. *part. 3. constit. 23. def. 30. n. 4. & 5.* Hinc fructus idem colligit, collectos custodit, ex re si judicaverit, divendit, Rotenburg *de jur, conjug. part. 1. tit. 2. cap. 1. num. 4.* Patronatus jus solus exercet quamdiu durat matrimonium, Rotenburg *d. l.* Lopez *de lucro marit. & uxor. c. 6. num. 23.* actiones eas, quæ occasione societatis competunt, solus in judicium deducit, tam reales quam personales: Pyrrh. *ad cons. Aurel. c. 11. tit. de societ. inter vir. & ux.*

Quam diligentiam in ea adhibere debeat.

In hac autem mariti administratione bonam requirimus fidem, eamque diligentiam quam in suis rebus adhibere solet, quamque leges desiderant; damnum enim culpa datum resarcire tenetur, si res ad

jura

jura de ſocietate expreſſa loquentia examinetur, §. *final. Inſtit. l.* *52.* §. *2. & l. 72. ff. pro ſoc.* vid. *l. 17. pr. de jur. dot.* Hinc ſi ingruente periculo contra mulieris conſilium res communes in alium locum temere transtulerit, quæ poſtmodum diripiuntur, uxori pro ſua parte tenebitur ob culpam admiſſam, quam incurrit eo ipſo, quod manifeſto exitio bona communia objecit, Garſ. *de Acqueſt. Conjug. num. 70.* Cum autem ſocius reliquorum conſenſu deſtitutus, res communes nec alienare, niſi pro ſua parte, poſſit, *l. 68. ff. pro ſoc.* nec pignori dare, *l. unic. ſi commun. res pign. dat.* Mozzius *tract. de contract. tit. de ſociet. cap. de natural. ſociet. n. 16.* vid. tamen Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. n. 48.* Lopez *cap. 10. num. 25.* Segura *c. 1. num. 49. & 58.* idem heic dicendum videtur de marito, ut ex quæſtu nihil præter ſibi debitam portionem alienare ei permittatur, ceu & Baldus quem refert Boerius *ad conſ. Bituricenſ. tit. de conſ. matrimon.* §. *3.* cenſuit, illudque etiam probavit Garſ. Maſtryllus *lib. 1, deciſ. 75.* ita judicatum eſſe referens.

Num ſub ea comprehendatur poteſtas alienandi.

§. III.

Plerique tamen ſtatutorum & conſuetudinum interpretes laxiorem, & longe uberiorem poteſtatem marito, circa adminiſtrationem bonorum communium, tribuunt, qui volunt maritum res durante matrimonio acquiſitas, etiam diſſentiente uxore, alienare poſſe, Beſoldus *ad jus Provinc. Würtemb. part. 4.* §. *29.* quod ei ex privilegio, propter onera matrimonii ſuſtinenda, à lege conceſſum eſſe ſcribit Grivellus *Deciſ. Dolan. 64. & 65.* hanc poteſtatem marito indulgent quoque Hiſpanorum leges, Suarez, Lopez, Segura, Garſias *dd. ll.* Petrus Sanz *de diviſ. bonor. libr. 2. c. 13.* ut & mores Aureliani, Pyrrhus *ad conſuet. Aurelian. tit. de ſociet. inter vir. & uxor. cap. 11.* ac totius fere Galliæ conſuetudo: Boerius *ad conſuet. Bituricenſ. tit. Des couſtumes concernans les juges & leur Iuriſd.* §. *10. & tit de conſuet. matrim.* §. *3.* Caſſanæus *ad conſ. Burg. rub. 4.* §. *4.* Quibus adſtipulatur conſuetudo Regni Arragoniæ, Joſephus de Seſſe, *deciſ. Arragon. 141.* Reſtringitur hoc in nonnullis Belgii provinciis ad res mobiles; reliquas autem, quæ immobiles ſunt & dicuntur, non niſi cum uxore conſentiente validé alienantur, Goris *in adverſ. jur. tr. 1. c. 5. num. 7.* Quod etiam probant mores

Quod affirmant interpretes plerique.

Quæ tamen reſtringitur quibusdam in locis ad res mobiles.

 res

res Regni Lusitaniæ, qui alienationem bonorum immobilium, eorumque quæ pro talibus habentur, sine expresso uxoris consensu marito denegant, Ludovicus Molina *de just. & jur. tom. 2. disput. 422. n. 8.* Quamvis autem in adductis modo locis libera marito facultas alienandi videatur concessa, illud tamen restringunt ad alienationem factam inter vivos; in ultima vero voluntate maritus in præjudicium uxoris, de bonis communibus nihil disponere potest, Peckius *de testam. conjug. lib. 2. cap. 1. n. 2.* Molinæus *in Consuet. Parisiens. §. 37. num. 1. & 2.* Josephus de Sesse *dict. decis. 141. n. 12.* Cassanæus *ad cons. Burg. rub. 4. §. 4. pr. quod in seqq. ampliat.* vid. tamen *Gars. de acquæst. conjug. n. 183. & in tr. de expens. & meliorat. cap. 13. num. 20.* Multum itaque heic momenti rursus habebunt loci cujusque statuta & consuetudines, quæ modo laxiorem, modo restrictiorem potestatem marito indulgent, atque ex iis potissimum dijudicari debet, quanta marito sit circa bona, constante matrimonio quæsita, potestas, vel non.

§. IV.

Concessa hæc facultas alienandi, intelligi debet de alienatione utili bonaque fide facta; fraudulenta enim omni jure marito interdicta est, Peckius *de Testam. conjug. l. 2. c. 1.* Molinæus *ad cons. Paris. §. 37. gl. 1. num. 1. 2.* Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 10. num. 28.* hinc maritum non posse de bonis communibus donare, concludit Rodericus Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. numer. 49. & seqq.* Petrus Sanz *de divis. bonor. lib. 2. cap. 13. num. 1. & seq.* quod confirmat *l. 59. §. 1. ff. pro soc.* neq; enim is, cui administrandi, deque rebus disponendi potestas conceditur, elargiendi potestatem accepisse creditur, *arg. l. 60. §. Lucius. ff. mandati, l. 7. ff. de donat. l. 1. §. 1. ff. de offic. procurat. Cæsar.* ex causa justa tamen modice donare marito fas esse, & quidem citra uxoris indultum, de bonis communibus, non sine ratione docet Petrus Sanz *de divis. bonor. dict. cap. 13. n. 11.* Besoldus *ad jus provinc. Wirtemb. part. 4. thes. 23.* Guttierez *libr. 2. quæst. 7.* Multo minus licebit marito bona quæsita ludendo, vel similiter dilapidare, *arg. l. 59. ff. pro socio.* quod si fecerit, uxori ad idemnitem prostandam obligabitur de jure civili, *arg. l. 20. ff. communi dividund. l. 44. §. 5. ff. Famil. Herci*sc.

Neq; extendi debet ad potestatem donandi.

Limitat.

unde nec dilapidare bona quæsita maritus poterit in præjudicium uxoris.

cisc. quod etiam cavet jus provinc. Wirtemb. *part. 4. tit. 4.* §. **Wo aber selbige.** atq; jure mihi patrio Marchico Badensi idem procedere, haud absurde quis dixerit: tum quod jus civile hoc in casu ibi correctum non reperitur, tum quod illud ex jur. provinc. Wirtemb. propter loci contingentiam, & jurium convenientiam explicari, & limitari potest, per ea quæ tradit Mevius *ad jus Lubec. quæst. prælim. 10. num. 30. & seq.* Cæterum ad præcavendas lites, ne turbetur amor conjugio debitus, & concordia quæ omni pecuniario lucro præferenda, aliud in hac conjugali bonorum communione usum multorum locorum approbasse, testantur non solum jurisconsulti Hispani, Gars. *de acquæst. conjug. num. 6.* Rodericus Suarez *de lucro marit. & uxor. cap. 1. num. 56. & seq.* Petrus Sanz *de divis. bonor. lib. 2. cap. 15.* sed alii quoque, inter quos est Besoldus *ad jus prnvinc. Wirtemberg. part. 4. thes. 23.* Johan. à Sande *libr. 2. tit. 5. def. 8.* ubi Senatum Frisiæ ita judicasse refert, Peckius *de testam. conjug. libr. 2. cap. 6.* Ne tamen innocens fœmina gravius detrimentum perferat pe r dissolutos mariti mores, judicem implorare potest, qui marito administratione rei uxoriæ interdicet, separationemque bonorum instituet, Joan. à Sande. *d. def. 8.*

§ V.

Consistit 3. Effectus hujus societatis in communicatione lucri constante matrimonio facti. *l. 73. & seq. ff. pro soc.* quæ iterum pro diversitate societatis, diverso fit modo: aliter nimirum in societate bonorum omnium; aliter in societate bonorum simpliciter, sicuti *cap præced. 4.* pluribus explicavimus. Censetur autem illa fieri cum res actu in commune conferuntur, nam quæ socii durante societate acquirunt, non ipso jure, sed societatis judicio demum communicantur. *l. 74. ff. pro soc.* Vinnius *ad pr. Institut. de societ. num. 3* ex quo concludendum videtur etiam ea, quæ maritus vel uxor durante matrimonio quæsiverunt, non statim communia fieri, sed demum dissoluto matrimonio institutaque actione pro socio, in comune redigenda esse, unde etiam Besoldus ad *jus provinciale Wirtemb. part. 4. thes. 29.* colligit, uxori rerum à marito quæsitarum per subsecutam traditionem, dominiumprimum competere, nec prius rem iterum à marito alienatam vindicare posse, vide Grivel-

Tertius effectus est communicatio lucri & damni.

lum

lum *decis. 65. & 164.* Seguram *de lucro marit. & uxoris. cap. 1. n. 2. & seqq.* Existimaverim tamen in societate hac conjugali, res durante matrimonio quæsitas inter conjuges statim fieri communes, vel ideo maxime, quod conjuges si quid adquirunt, eo ipso dum in ædes suas id conferunt, censentur communicasse, quia communicatio hæc non præcise mediante traditione fieri debet, sed sufficit rem ab altero sociorum adquisitam, communi sorti inferri: conjuges enim, ut qui una in domo habitant, eaq; quæ ibi adsunt, communia habere præsumuntur, illis ipsis si porro quæsita adjiciunt, eodem ea quoque communionis jure habenda voluisse, conjiceres. v. Lopez *de lucro mariti & ux. c. 10. n. 24.* imo secundum multorum placita res durante societate quæsitæ, ipso jure tam quoad dominiũ, quam possessionem, conjugibus erunt communes, licet alteruter proprio nomine rem sibi adquirere statuerit, Lambertus Goris in *advers. jur. tract. 1. cap. 5. num. 2.* Bruckman. *vol. 1. consil. 44. num. 7. & consil. 16. num. 16. & seqq.* illudque etiam moribus Frisiæ obtinere tradit Johan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 6.* idem affirmant Hispani de sui regni consuetudine, Garf. *de acquæst. conjug. num. 12. & n. 172.* Suarez *de lucro marit. & uxor. cap. 1. n. 58.* Covarruvias *lib. 3. variar. resolut. cap. 19. num. 2.* Alii tamen hoc sic temperant, ut uxori pars quæstum durante matrimonio factorum habitu & credito tantum ut loqui amant, competat, ac dissoluto matimonio veram demum & actualem dominii possessionisq; communionem ipso jure, sine prævia communicatione se exerere volunt, Petrus Sanz *de divis. bonor. lib. 2. cap. 14.* Peckius *de testam. conjug. lib. 2. cap. 1. num. 9.* Grivellus *d. decis. 65.* Molinæus *ad consuet. Parisiens. §. 37. gloss. 1. num. 1. & 2.*

Quando ea dicatur fieri.

§. VI.

Quamvis autem lucrum in societate tantum spectetur, ejusq; intuitu omnis societas contrahatur; quia tamen non semper favente Mercurio negotia procedunt, congruũm proinde fuerit damni quóq; & impendiorum haberi rationem *l. 29. in fin. ff. pro soc.* ideoque omne damnum & impendium durante matrimonio contingens, in hac omnium bonorum societate commune esse debet, & quicquid honeste erogatur, ad utriusque onus pertinere, *l. 52. §. final.*

Quæ damna & impendia in societate bonorum omnium veniãt

l. 73.

l. 73. pr. & §. 1. ff. pro. soc. l. 39. §. 3. ff. Famil. Hercisc. licet ista impendia causam societatis non respiciant. Hinc alimenta quæ familiæ præbentur, sumptus in curationem ægræ uxoris, aut liberorum facti, huic societati imputandi sunt, Struv. *Exercit. ad digest. 22. tit. pro soc. θ. 27.* Idem dicendum arbitramur de dote & donatione propter nuptias filiis & filiabus data; aliis item quæ in studia & honorem filiorum consumuntur, hujusmodi scil. finita societate non detrahenda illi, cujus nomine impensa fuere, *arg. l. 52. §. fin. l. 73. §. 1. in fin. ff. pro soc. l. 39. §. Filius ff. Famil. Hercisc.. l. 66. ff. pro soc.* Hi enim sumptus ut fierent, parentum in filios, mariti in conjugem exigit propensa voluntas, pietasque, & partim necessitas, *arg. l. 19. ff. de ritu nupt.* Franzkius *in comment. digest. tit. pro soc. num. 19.* quod valet etiamsi alteruter conjugum nullos habeat liberos, ut si miritus filiæ ex priori conjugio susceptæ, dotem dederit ex bonis his, quæ inter illum & secundam uxorem societatis causa communia sunt. Heic enim propter incertos eventus eorum quæ acquiruntur, quæque expendi urget necessitas, vel honestas, rigor æqualitatis non invenit locum: nam sicuti non attenditur an unius conjugis socii causa plus obvenerit, ita nec consideratur an ratione unius plus impensum fuerit, ut illi imputari debeat, Struv. *dict. thes. 27.* Neque obstat his quod dicitur paternum officium esse dotem dare liberis *l. final. Cod. de dot. promiss. arg. l. 19. ff de ritu nupt.* matremque non nisi in subsidium ad hoc teneri *l. 14. Cod. de jur. dot.* Etenim socii, eo ipso quo omnium bonorum societatem contrahunt, tacitè convenisse censentur, ut omnes sumptus & impendia honeste facta pro commune onere habeantur.

§. VII.

In societate ad quæstum contractá eorum solum impendiorum habenda est ratio, quæ occasione hujus consortii conjugalis fiunt, aut ex ea dependent, *l. 12. l. 25. §. 15. ff. pro soc.* Cum vero sumptus, qui in curationẽ ægræ uxoris, liberorum, aut rei familiaris commodum expenduntur, societatis causam non concernant, neque ex ea aliquatenus dependeant, huic quæstuum societati secundum tenorẽ juris civilis, non deberent imputari, *arg. d. l. & l. 60. ff. pro soc.* attamen plurium locorum statutis & consuetudinibus laxior interpre-

Quæ impendia imputentur societati quæstuum.

I tatio

tatio in hac conjugali bonorum communione admissa est; volunt illa ut imputentur ea quoq; impendia, quæ in alterius conjugis vel liberorum morbum, aut aliam utilitatem collata sunt, ceu etiam disponit jus provinc. Wirtemb. *part. 4. tit. 4. rub.* von der Einbuß. §. Da nun. *& seqq.* Iohan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 8.* eadem ratione huic societati imputanda non sunt, dos & donatio propter nuptias liberis data, *arg. d. l. 12. ff. pro soc.* etsi maritus ista impendia ex communibus bonis fecerit, uxori pro parte ea restituere tenetur: diversa enim sunt conjugalis hæc quæstuum societas, & obligatio liberos dotandi, sicuti pluribus demonstrat Bachovius *ad Treutler. vol. 1. disput. 27. thes. 8. lit. A.* idemque de sumptibus studiorum à patre ex bonis communibus filio datis, sentiendũ, Bachov. *dict. loc.* Hoc tamen Ducatu Wirtembergico jur. prov. *part. 4. tit. 12.* cavetur, ut sumptus prædicti omnes ex bonis conjugum communibus fieri debeant, communibusque oneribus annumerentur, vid. *l. ult. Cod. de dot. promiss.* Quod Hispani etiam de sui regni consuetudine affirmant, Suarez. *de lucr. marit. & uxor. cap. 1. num. 56. & seq.* Sanz *de divis. bonor. lib. 2. cap. 13.* Guttierez *lib. 2. quæst. 118.* Jure mihi patrio existimaverim hoc in puncto juris civilis dispositioni inhærendum, ut quod ibi approbatum reperitur, dum pater ad sumptus istos de proprio filiis exhibendos obligatur, mater autem non nisi in subsidium, Marggr. Bad. Landr. *part. 6. tit. 10.*

An ad ea pertineant dos, donatio propter nuptias &c.

§. VIII.

Imputanda porro societati huic sũt debita constante matrimonio contracta.

Inprimis ad communia damna & impendia societatis hujus conjugalis pertinent debita constante matrimonio contracta, Würtemb. Landr. *part. 4. tit. 4. §. 1. & seqq.* Marggr. Badisch Landr. *part. 6. tit. 12. §. 1. & ult.* Lambertus Goris *in advers. jur. tract. 1. cap. 4.* Johan à Sande *libr. 2. tit. 5. def. 8.* Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 10. num. 2.* Grivellus *decis. Dolan. 13.* Gars. *de acquæst. conjug. num. 149.* & hoc dubio caret in debitis illis, quæ ab utroque conjuge in communem familiæ, vel societatis utilitatem contracta sunt, quibus si bona quæsita constante matrimonio non sufficerint, ex cujusque propriis solvi debent. Würtemb. Landr. *part. 4. tit. 4. §.* Nemblichen. Marggräff. Bad. Landr. *part. 6. tit. 12. in princ.* Verum si mulier cum marito dotem genero promiserit, num

Non ea solũ quæ ab utroque dependent.

eo quoque in casu debitum ex communibus bonis, aut iis deficientibus, ex rebus cujusque conjugis propriis sit solvendum, non expediti juris est: non perperam mulierem heic ipso jure obligari, diceres, nam contractus illi, in quibus mulier se simul cum marito obligat, non improbantur, nec dispositio *authenticæ, Si qua mulier. C. ad SC. Vellein.* his obligationibus obstat, cum loquatur de illis conttactibus, in quibus mulier non principaliter, sed accessorie, in rem & utilitatem mariti, se obligat. Quo insuper accedit, quod causa dotis maxime sit favorabilis, ut mulieres dotem promittendo quoque obligentur, *l. 8. l. 14. C. de jur. dot. L. ult. Cod. ad SC. Vellejan.* Attamen quia onus dotandi liberos ad solum pertinet maritum, illudque ex hac societate non resultet, ideo hæc uxoris obligatio merito suspecta censetur, atque perinde habetur, ac si mulier in subsidium, & animo pro marito intercedendi se obligasset, Gypsius *in addit. ad decis. Rotæ. decis. 25.* Mastrillus *lib. 2. decis. 186.* Hinc omnis obligatio & contractus in quo mulier extra causam societatis, se cum marito obligat, efficax ideo non habetur, quod utilitas & commodum exinde resultans, ad maritum perveniре præsumitur, nisi manifeste probetur illud factum esse in utilitatem & rem uxoris, non mariti, *arg. dict. authentic. si qua mulier. C. ad SC. Vellejan.* Gailius *lib. 2. observ. 89. num. 1.* Wibel *de contract. mulier. cap. 5. num. 43. & seqq.* Neque obstat allata supra ratio, quia licet mulier ex promissione dotis obligatur, sine efficacia tamen id erit eo in casu, quo contracto matrimonio pro dote, quam alius dare debuerat, se obligavit, Halbritter *in disput. ad SConsult. Vellejan. p. 3. cap. 2.* atque hoc etiam jure patrio meo procedere arbitror, quia illud ratione oneris dotandi, à jure civili non discedit. Aliud obtinebit de jure provinc. Wirtembergico, *arg. text. part. 4. tit. 12.* vid. heic Gars. *de acquæst. conjug. num. 150.* Petrus Sanz *de divis. bonor. cap. 17.*

§. IX.

Quoad debita ab alterutro conjugum contracta, distinguendum est an contracta sint ea occasione societatis, aut ob communem rei familiaris utilitatem, an vero extra causam societatis, in rem & utilitatem alterius propriam: prioris generis debita ab utroq; con-

sed etiam ea quæ ab alterutro solum societatis causa facta sunt.

juge ex bonis communibus, quæ si vel nulla, vel exigua supersint, ex propriis cujusque rebus solventur, Würtemb. Landr. *part. 4. tit 4.* §. Wo aber selbige. Marggr. Bad. Landr. *part. 6. tit. 12. pr. &* §. *ult.* Besoldus *ad jus provinc. Wirtemb. part. 4. thes. 19.* Hinc debitum à marito ad alendos liberos, aut familiam exhibendam contractum, ad utriusque conjugis onus pertinere debet, Gratianus *tom. 1. cap. 107. n. 8.* modo liberi ex eodem matrimonio sint procreati, nam si debitum contrahatur in rem & utilitatem liberorum prioris matrimonii, debitum illud solus sustinebit maritus, Iohan à Sommern *tract. de jur. Noverc. cap. 2. num. 2.* Alphonsus de Accevedo *consil. 38. num. 1. & seqq.* Petrus Sanz, *libr. 2. de divis. bonor. cap. 12.* Lopez *d. lucro marit. & uxor. cap. 6. num. 4.*

§. X.

Ea vero quæ in alterius propriam utilitatem cōtrahuntur ex bonis communibus non solvuntur.

Posterioris generis debita, societati imputanda non sunt, nec ex communibus bonis solvenda, *arg. l. 12. l. 67. §. 2. ff. pro soc.* adeoq; si mulier ad alendum patrem inopem mutuam pecuniam sumeret, ad illam ex propriis bonis solvendam erit obligata, provenit enim debitum illud ex causa sive negotio uxoris proprio, quæ ad patrem alendum obligatur ex pietate gratoque adfectu parentibus debito, Petrus Sanz *dict. cap. 12.* pari ratione hinc removenda sunt debita ab alterutro conjugum per prodigalitatem, luxum vestium, aut rei cujuscunque contracta. *arg l. 59. §. 1. pro socio.* Würtemb. Landr. *part. 4. tit. 4.* §. Wo aber. De fidejussione à marito constante matrimonio facta, num uxor pro parte teneatur, videri potest Iohan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 8.* Besoldus *ad jus provinc. Wirtemb. part. 4. thes. 20.* Petrus Sanz *de divis. bonor. libr. 2. cap. 13. n. 12. & seqq.* Guttierez *lib. 2. quæst. 127.*

§. XI.

ut & pœna ob delictum alterutri imposita.

Multo minus pœna, quæ ob delictum marito, vel vice versa uxori infligitur, ad debita communia referri debet, nam eo in casu pœna solvi debet ex bonis delinquentis propriis. *l. 52. §. final. ff. pro soc.* Würtemb. Landr. *part. 4. tit. 4.* §. Wo aber ibi: oder sträfflichen Handlungen: sunt fateor, nonnulli, qui pœnam leviorem pecuniariam ex bonis communibus solvendum esse existimant, inter quos est Joan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 8.* Lambertus Goris *in advers.*

verſar. jur. tractat. 1. cap. 4. ſed jure civili, ſive levior ſive gravior fuerit pœna pecuniaria, ſocius ex propriis bonis eam luet, utrobique enim eadem obtinet ratio, ſcilicet pœnam delicti pœnam eſſe debere & ultra ſceleris autorem non progredi, *l. 22. Cod. de pœn.* ſi tamen conſuetudine alicujus loci aliud fuerit receptum, illud erit ſequendum; ſed citra ſpecialem legis diſpoſitionem aut conſuetudinem ita ſtatuere, periculo non careret. Hinc ſi delictum tam eſſet atrox, ut publicationem bonorum meruiſſet, quæ innocentis ſocii portio eſt ex quæſtu, ſalva manebit, *d. l. 52. §. final. ff. pro ſoc.* Petrus Sanz *de diviſ. bonor. lib. 2. cap. 13.* Petrus Rat *ad conſuet. picton. art. 239. §. 6.* Lambertus Goris *d. tr. 1. cap. 4. num. 8. & ſeqq.* Garſ. *de expenſ. & meliorat. cap. 10. num. 19.* ab hac ſententia recedit Boerius *ad conſ. Bituricenſ. tit. de juriſdict. judicum. §. 10.* Pyrrhus *ad conſ. Aurelian. tit. de ſocietat. inter vir. & uxor. cap. 10.* illi exiſtimant propter liberam adminiſtrandi & alienandi poteſtatem marito indultam, confiſcatis bonis mariti, eam etiam quæſtuum partem, quæ uxori debetur, in fiſcum redigendam eſſe, ſed fortaſſis contra omnem juris rationem, & normam æquitatis: etenim in confiſcationem illæ tantum res veniunt, quæ delinquentis fuerunt propriæ, adeò ut quicquid delinquens aliis debet, illud ex bonis delinquentis ſit deducendum, *l. 2. C. ad L. Iul. de vi publica.* Cum autem uxori portio quæſtuum jure dominii competat, illa tanquam bona aliena in fiſcum cogi non debet. Iniquum enim eſſet innocentem uxorem ob mariti delictum punire, add. Segura *de lucr. marit. & uxor. cap. 1. num. 1. & ſeqq.* Imò ne eo quidem in caſu ubi marito judicis injuria pœna pecuniaria impoſita fuerit, uxor pro parte tenebitur, *arg. l. 52. §. fin. ff. pro ſoc.* facit huc ratio *l. 55. ff. de evict.*

Vnde bonis mariti confiſcatis portio quæſtuū uxori ſalva remanet.

§. XII.

Matrimonio diſſoluto, atque ſocietate conjugali finita, (nam quamdiu matrimonium durat, diviſionem lucrorum mulier regulariter petere nequit, Everhardus *volum. 1. conſ. 6.* add. Segura *de lucr. marit. & uxor. cap. 1. num. 2.* niſi in paucis admodum caſibus, quos refert Molinæus *ad conſuet. Pariſienſ. §. 37. gloſſ. 1. num. 2.* Grivellus *deciſ. dolan. 164.*) dividi debent quæſtus lucraque durante

Petitur diviſio bonorū matrimonio demum ſoluto.

rante

ubi tamen prius uterq; coniux dedu cit bona sua propria.

rante matrimonio facta: antequam autem illa suscipiatur, in societate simpliciter bonorum, primo ex bonis quilibet conjugum ea recipit, quæ tempore matrimonii attulit, vel postmodum sibi non ex causa societatis acquisivit, Würtemb. Landrecht. *part. 4. tit. 4. & tit. seq. 5.* Jur. Marchico Badens. *part. 6. tit. 5.* §. Hergegen/ *& tit. 11.* §. *1. & seq.* Johan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 3.* Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. num. 61.* Gars. *de Acquæst. conjug. num. 63.* si vero alterius conjugis bona non extent amplius, sed consumpta in communem familiæ utilitatem, morbum liberorum, vel conjugis, æstimatio illorum ex bonis communibus resarciri debet, Würtemb. Landr. *part. 4. tit. 4. rub.* Von der Einbuß/ §. Da nun *& seqq.* vid. *praced.* §. *8. h. c.* Ea vero quæ alteruter conjugum ex bonis propriis, luxu, donatione, aliove modo in nullam utilitatem rei familiaris, perdidit, aut casu fortuito amisit, ex bonis communibus restituenda non sunt. *arg. l. 52. pro soc. l. 60.* §. *4. & seq. ff. eod.* Würtemb. Lr. *d. tit. 4.* §. *ult.* quod si conjuges matrimonio durante nulla bona fuerint lucrati, tunc partem eorum, quæ alteruter conjugum ex bonis suis in commodum familiæ consumpsit, ex conjugis alterius bonis propriis habebit, Würtemb. Landr. *d. tit. 4.* Marckgräfl. Bad. Landrecht. *tit. 12. part. 6.* §. Die Schulden aber. Joan à Sande *d. def. 3.* Et sic deductis rebus cujusque propriis, qui supersunt quæstus, inter conjuges sunt dividendi, suaque cuilibet portio tam lucri quam damni adjudicanda, & debita ea, quorum obligatio solum maritum respicit, uxori pro parte cedenda, *arg. l. 3. ff. pro soc.* Grivell. *decis. dol. 90.* ubi addit uxorem contra mariti debitores agere executive non posse, nisi actiones sibi prius ab hæredibus sint cessæ, vid. Gars. *de Acquæst. conjug. num. 157.* Joan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 6.*

Et tum quæstuũ qui supersunt sua cuique pars adjudicatur.

§. XIII.

Quoad portiones autẽ lucri & damni, statuta locorum non conveniunt. Alibi cuili-

Quanta autem lucri & damni pars cuilibet conjugum deferenda sit, ex locorum statutis potissimum & consuetudinibus dijudicari debet. Variant enim, ita quidem ut alibi pars quæstuum dimidia uxori adtribuatur, quod de Hispania testatur Suarez *de lucro marit. & uxor. tit. 1. n. 38.* Didacus à Segura *cap. 1. num. 4. &* Dd. Hispani passim, de Arragoniæ Regno Josephus de Sesse *Decis. 37.* quod

quod etiam faciunt mores Galliæ, Cassanæus *ad conf. Burg. rub. 4.* §. 2. Boerius *ad conf. Bituricens. tit. de consuet. matrimon.* §. 2. *& seqq.* Pyrrhus *ad consuet. Aurelian. tit. de societ. inter vir. & uxor. cap. 5 & seqq.* observant idem Belgæ Lambertus Goris *in Advers. jur. tr. 1. cap. 4.* & Ducatus Würtemberg. Würtemb. Landr. *part. 4. tit. 5.* §. vnd dann hat das *&* §§. *seqq.* Alibi vero marito duæ portiones, uxori verò tertia deferri solet, ceu in Sicilia observari, testis est Franciscus Milanensis *lib. 1. decis. 18.* quod sequuntur mores Alsatiæ, civitatis Argentoratensis, Spiræ aliorumque locorum in tractatu Rhenano superioris Germaniæ, Rosenthal *de feud. cap. 5. conclus. 67. num. 4.* & hoc etiam in patrio meo jure, & certo in in casu statutis hujus inclutæ Universitatis approbatum reperitur, Marckgräfl. Bad. Landr. *part. 6. tit. 5. & seqq.* Stat. univers. Tübing. *cap. 16. in fin. p. 147.* Portio hæc quæ marito cedit, plerumq; vocari solet Das Schwerdtheil/ ut uxoris Das Spindel oder Kunckeltheil/ Rosenthal *dict. conclus. 67. n. 5.* Non sine evidenti autem ratione majorem quæstuum partem marito leges deferunt, ut qui non solum plus operæ & industriæ confert, sed etiam Ductor Rectorque familiæ existit, Franciscus Milanensis *dict. decis. 18.* & pluribus de hoc differit Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. numer. 102. & seq.*

bet coniugi defertur pars dimidia

Aliis vero in locis marito partes duæ & uxori una.

§ XIV.

Quod si loci alicujus consuetudine vel statuto nullæ partes lucri & damni fuerint expressæ, sed simpliciter pars quæstuum uxori deferatur, in dubio partes æquales factæ censentur, *l. 29. pr. ff. pro soc.* §. 1. *Inst. eod.* vid. tamen *l. 6. l. 80. ff. pro soc.* Hector Felic. *de societ. cap. 15. num. 44. & seqq.* conceditur tamen conjugibus definitas statuto vel consuetudine lucri & damni partes aliter definire, ita ut etiam inæqualis conventio circa lucrum & damnum inter eos subsistat, Lambertus Goris *tract. 1. cap. 1. num. 27. in not.* cum æqualitatem circa lucra & damna socii observare non teneantur, de quo vid. Struv. *Exercit. 22. ad digest. thes. 31.* Hujus occasione quæritur, si maritus tempore contracti matrimonii pactus fuerit cum uxore, eique promiserit mille florenos pro parte quæstuum durante matrimonio acquirendorum, & fuerint postea nulli quæ-

Partibus lucri & damni statuto non expressis æquales factæ censeantur.

Nisi coniuges pacto eas aliter definiant.

li quæſtus facti, an nihilominus eo in caſu ad promiſſam ſummam uxori obligetur? movet, ſed non definit hunc caſum Caſſanæus *ad conſ. Burgund. rub. 4. §. 2. in verb. & acquæſtz. num* Nos affirmanti ſubſcribere ſententiæ non dubitamus, *arg. l. ... 9. 1. ff. de contrahend. empt.* Sed Maritus ſi uxori omnes quæſtus legaverit, num ea in effectu ad totius æris alieni, ſocietatis occaſione contracti, ſolutionem tenebitur? juris rationi propior heic eſt, qui negat; quæſtus enim non intelliguntur niſi deducto ære alieno, *l. 30. ff. pro ſoc.* nec in ejusmodi quæſtuum legato amplius quicquam eſſe cenſetur, quam quod ære alieno deducto ſupereſt, *arg l. ult. ff. de uſufr. legat.* Joan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 3.* videatur omnino Grivellus *deciſ. dolan. 95. num. 67. & ſeqq.* In hanc autem quæſtuum portionem uxori debitam, non computandum eſt illud, quod maritus mulieri teſtamento reliquit, *arg. l. 85. de legat. 2.* vide Mevium *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 325. & ſeqq.*

Quæſtibus à marito uxori legatis, num ſolvere teneatur æs alienum occaſione ſocietatis contractum.

Legatum uxori à marito relictum, an computetur in eius quæſtuum portionem.

§. XV.

Ex hac conjugali ſocietate oritur actio pro ſocio, quæ utrinque eſt directa, §. 2. *Inſtit. de pœn. temere litigant.* Ad quid autem illa actio detur, quæque ejus natura, cum obvium omnibus ſit ex iis, quæ de ſocietate expreſſa Dd. adferunt, huc eadem colligere inſuper habui: Id tantum addere placet, eſſe actionem hanc interdum famoſam, *d. §. 2.* ſed ſub ea qualitate inter conjuges non admitti. *arg. l. ff. 2 rer. amotar.* Idq; favore matrimonii. Beneficium competentiæ quod huic actioni annexum eſt, *l 63. pro ſocio.* etiam intet conjuges non ſocios locum habet, *l. 20. ff. de re judicat.*

Oritur ex hac coniugali ſocietate, actio pro ſocio. ſed quoad coniuges nõ eſt famoſa.

§. XVI.

Aliud & non exiguum privilegium in hac conjugali ſocietate uxori indulgent quorundam locorum ſtatuta & conſuetudines: nimirum facultatem quæſtibus renunciandi, & ab omnibus debitis conſtante matrimonio contractis ſe liberandi, Scheplitz *ad conſuet. March. part. 3. tit. 2. §. 3. num. 3* Lopez *de lucro mariti & uxor. cap. 10. num. 3.* Sanz *de diviſ. bonor. libr. 2. cap. 12.* Garſ *de acquæſt. conjug. n. 155.* Caſſan. *ad conſuet. Burg. rub. 4. §. 12.* B. ſold. *ad jus provinc. Wirtemb. disp. 4. theſ. 26.* quo facit Würtemb Landr. *p. 1. tit. 76.* §. nicht weniger. *p. 39.* quod etiam hæredibus uxoris indultum

Vxor renunciando quæſtibus à debitis liberatur.

Quod eius hæredibus etiam conceſſum.

tum eſt, iique à lucris [illegible]endo, ad debita ſolvenda non tenentur, dicti A[illegible] *locis.* videatur Grivellus *deciſ. 83.* ubi modum in quæſtuum renunciatione moribus urbis Dolæ receptum tradit. Num vero mulier renunciando quæſtibus, liberetur etiam à debitis illis, ad quæ ſemet una cum marito obligavit, & quousque extendendum ſit, prolixiorem requirunt explicationem, quam ut præſentis disputationis modus capiat, conſulat interim, cui placet, Caſſanæum *ad conſ. Burg. rub. 3.* §. *13.* Illud tantum addimus, pactum, quo mulier cum marito ne debitis conſtante matrimonio contrahendis teneatur, convenit, inter ipſos conjuges valere, prout ſcribit Johan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 8.* exinde tamen creditores nullum ſentire damnum, addit, quo minus contra mulierem, quæ jure ſocietatis ex parte debitis adſtringitur efficaciter, actionem inſtituere poſſint; illam tamen quod hac ratione ſolvere coacta eſt, aliunde ex bonis mariti recipere poſſe, cui accedit Rottenburg *de jur. conjug. part. 1. tit. 4. cap. 1.* quamvis ejusmodi pactum non valere, ſi mulier lucri partem capere velit, tradat Schepliz *ad conſuet. Brandeb. part. 3. tit. 2.* §. *3. num. 3.*

Pactum ne uxor teneatur debitis an valeat.

Caput. VI.

Contraria complectitur.

§. I.

Super eſt ut videamus, quibus modis ſocietas hæc conjugalis vel contrahi impediatur, vel contracta ſolvatur, finiaturque. Modi quibus ab initio hæc ſocietas conſtitui impeditur, varii ſunt, & ex ſupra dictis colligi poſſunt facilime: nam ratione cauſæ efficientis, eſt contraria conjugum conventio, quando ſcilicet hanc bonorum communionem ſtatuto vel conſuetudine introductam, contrario pacto ipſimet excludunt. vid. ſupra *cap. 2.* §. *ult.* non tantum tempore matrimonii contrahendi, Caſſanæus *ad conſuet. Burgund. rub. 4.* §. *2. in verb. Et acquaſt. num. 15.* Suarez *de lucr. mariti & uxor. cap. 1. num. 24.* Garſ. *de acquaſt. conjug n. 147.* Boer. *ad conſuet Bituricenſ. tit. de conſuet. Matrim.* § *2.* Johan Lopez *cap. 7. num. 2.* Peckius *de teſtam. conjug. lib. 2. cap. 1.* ſed etiam matrimonio conſtante, Peckius *dict. loc.* Garſ. *d. num. 147.* Rodericus

Ad ea pertinet 1 Renunciatio conjugum.

Etiam conſtante matrimonio facta.

Suarez *d. l. num. 24.* si tamen ea lucrorum jam quæsitorum renunciatio in fraudem fiat creditorum, rescindendam esse *arg. l. 1. §. 2. l. 3. 4. & seq: ff. quæ in fraudem creditorum,* censet Garsias, *de acquæst. conjug. num. 148.* à quo dissentit Covarruvias *de matrim. part. 2. cap. 7. §. 1. num. 15.* Mulier vero ob id solum quod vendidit omnia sua bona ei, cui postea nupsit, huic societati renunciasse non censebitur: maritus enim si cum ea tempore contracti matrimonii expresse societatem contraxisset, procul dubio pars quæstuum uxori deberetur; quod cum locum habeat in societate expressa, & in hac ex statutis quæ venit obtinebit per supra dicta. Deinde maritus eo ipso dum non ignarus societatis hujus statutariæ, simpliciter matrimonium contrahit, & sibi pacto aliter non prospicit, in leges loci consensisse, & per consequens cum uxore hanc societatem contraxisse creditur; atque ita judicavit Senatus regni Arragoniæ Iosephus de Sesse, *decis. 37.* Ratione subjecti societatem hanc impedit Inhabilitas personarum, de quo *cap. 3.* Ratione objecti turpitudo rei, quod supra *cap. 4.* explicatum videbit, cui placet.

2. Inhabilitas personarum, &c.

§. II.

Modi societatem constitutam dissolvendi sunt vel communes omni societati, vel huic proprii: Inter communes, quæ tam in conjugali, quam alia societate obtinent, est præcipue mors conjugis sive socii, *l. 63. §. 10. ff. pro soci.* Everhard. *vol. 1. cons. 63. n. 3.* Struvius *Exercit. ad Digest. 22. thes. 41.* adeo ut nec ex pacto ad hæredem socii transeat, *l. 35. ff. pro soc.* quamvis illud quod ex re communi à superstite fuit quæsitum post mortem socii, hæredi, quem res sequitur, pro parte communicandũ sit, *d. l. 63. § 8. l. 65. §. 2. & 9. ff. pro soc. ibi.* Mudæ. Ioan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 9.* Quorundam locorum consuetudine hæc conjugalis societas alterius morte non finitur, sed cum superstite & defuncti hæredibus continuata creditur, sicuti de Hispania testis est Garsias *de acquæst. conjug. n. 55. & seqq.* Iohan Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. n. 25. & seq.* De consuetudine Geldriæ & Comitatus Hollandiæ, Lambertus Goris *tract. 1. cap. 9. num. 3. & seqq.* Ioan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 9.* quod etiam in plerisque Galliæ provinciis observatur, Cassanæus *ad consuet.*

Item mors unius coniugis.

Qua sola tamen quibusdam in locis hæc coniugalis societas non finitur.

ſuct. Burg. rub. 4. §. 2. in verb. Eſt participante. n. 5. ut de moribus Pariſienſium, Aurelianenſium, Pictavienſium in ſpecie id proponit Lamb. Goris *d. l.* ubi *n. 7.* annectit hujus rei rationem. Niſi bona legitime fuerint deſcripta, & confectum inventarium: per hoc ipſum enim ſocietas diſtracta, atque priſtina bonorum comunio finita cenſetur. Lambert. Goris *d. l. n. 4. & 8.* Sed hæc, ut diximus, ſpeciali locorum conſuetudini tribuenda; iis autem in locis, ubi hac de re nihil cautum reperitur, res ex jure communi erit decidenda. Hinc etiam Senatus Friſiæ judicavit ſocietatem conjugalem morte alterius diſſolutam eſſe in Friſia, quod jus civile ibi non reperiatur mutatum, Ioan à Sande *d. lib. 2. tit. 5. def. 9.*

Niſi inſuper accedat bonorum deſcriptio.

§. III.

Ad modos diſſolvendæ ſocietatis conjugalis proprios pertinet 1. Adulterium, propter quod uxorem quæſtuum portione privari adſerunt Dd. Maſtyll. *lib. 1. decis. 57.* Caſſan. *ad conſ. Burg. rub. 4. §. 2. in verb. Et acquæſt. n. 16.* addatur Mev. *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art 12. n. 408. & ſeqq.* Quod de jure mihi patrio Marchico Badenſi vix auſim adfirmare, niſi quis argumentum petere vellet ex *part. 6. tit. 13.* §. Wann auch. & §. *ſeq.* ubi additur limitatio, niſi reconciliatio inter conjuges intervenerit, vid. Würtemb. Landrecht. *part. 2. tit. 32.* Hanc adulteri exceptionem hæredes mariti non poſſe opponere viduæ, quæſtuum portionem petenti, non ſine ratione docet Mevius *d. tit. 2. art. 12. n. 414.* à quo diſſentit Garſia Maſtryllus *lib. 1. decis. 57.* Secundo mulieris vel mariti malitioſa deſertio, Ioan à Sande *lib. 2. tit. 5. def. 8.* de quo idem quod de adulterio, quoad jus Marchico Badenſe ſentimus, vid. *d. part. 6. tit. 13.* §. Wann ſo eines. Occaſione hujus addere voluimus, quod Dd. ad hanc conjugalem ſocietatem requirant cohabitationem conjugum, & quidem ejus temporis, quo lucra facta ſunt, Garſ. *de acquæſt. conjug. n. 52.* Didacus à Segura *in repet ad l. 67. §. 5. ff. de legat. 2. num. 24. & ſeq.* atque hoc amplectuntur Hiſpanorum mores, Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. num. 1. & ſeqq.* idemque apud Gallos communiter ſervatur, Boerius *decis. 22. n. 23.* ſicuti ita ſæpius judicatum eſſe in judicio prætorio Pariſienſi, teſtatur Caſſanæus *ad conſ. Burgund. rub. 4. §. 2.* Hinc inferunt, ea quæ uxor vel maritus ante tra-

Refertur huc etiam adulterium.

ut & maligna alterius deſertio.

ductionem in domum quæsivit, solius acquirentis esse, Lopez *d. tr. cap. 6.* Segura *d. l.* Quod si postea mulier à duro marito expellatur, ut propter sævitiam ejus cohabitare non possit, eo in casu uxori partem deferunt eorum, quæ maritus interim quæsivit. *arg. l. 3. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 24. & 81. de condit. & demonstrat.* quod pluribus firmat Segura *ad d. l. 67. §. 5. n. 29. & seqq.* si culpa sua uxor cum marito non cohabitat, tum volunt ea non communicanda esse, quæ deserta pars quæsiverit, eorum autem quæ pars nocens lucri fecit, partem cedere conjugi innocenti, Segura *d. l n. 36.* ita judicatum esse in Hispania testatur Lopez *c. 8. n. 15.* Unde & maritum ob delictum ad triremes damnatum, aut proscriptum, de iis nihil participare, adserunt, quæ uxor interim lucri fecit Cassanæus *ad consuet. Burg. rubr. 4. §. 2. in verb.* femme, Garf. *de acquæst. conjug. n. 161.* ut qui sua culpa cum uxore cohabitare desiit. De uxore ob sævitiam mariti quoad thorum & mensam separata, vid. Garf. *d. tr. n. 60.* Covarruv. *de matrim. part. 2. c. 7. §. 1. n. 7.* quibus ex parte contrarius est Segura *d. l. n. 39.* Prædicta hæc de conjugum cohabitatione, utut recensitis in locis se habeant, non temere ad mores nostros traherem, in quantum consuetudine vel statuto recepta non inveniuntur.

§. IV.

Et denique dissoluta & infamis vita viduæ.

Referunt denique tertio huc alii dissolutam & infamem viduæ vitam, atq; volunt illi fœminam impudicitia, aliisq; obscænis libidinibus cumulatam, amissuram quæstuum portionem, Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 416.* Garf. *de acquæst. conjug. num. 39. & seqq.* Lopez *de lucro marit. & uxor. c. 11. n. 1. 2. & 16.* sed non per secundas nuptias, Garf. *de expens. & melior c. 13. n. 15.* Ioh. à Sommern *de jur. Novert. c. 7. n. 4.* atq; ita judicasse Senatum Tholosanum, refert Maynard. *lib. 6. decis. 39.* Non desunt, qui plures adserunt modos, quibus portionem quæstuum debitam uxor amittat, & quidem in specie quoad dissipationem vel amotionem quæstuum ab uxore factam, videri potest Besoldus *ad jus provinc. Wirtemb. part. 4. th. 23.* Peckius *de testam. conjug. lib. 2 c. 6.* Sciendum autem heic est, de his & similib. privandi causis, citra specialem alicujus loci consuetudinem aliquid adserere, periculosum esse, quia nulla